



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Titulus XXVIII. De Sepulturis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

de diverso deponerent, & ita adminiculantes dicuntur, & cum eis ita probavit Abbas oblationem; alias si unus testis tantum de confessione oblationis deponeret, & alius testis de oblatione ipsa non probasset sufficienter Abbas, ut exponit Cofta in l. si ex cautione, fol. 379. num. 2. C. de non numer. pecun.

7. (i) *Comptem non fuisse.* ] Quae negativa convertitur in affirmativam, ut probavi in cap. ad audientiam de probat.

(k) *Alienata mente dixisse.* ] Furiosus enim non potest facere testamentum, l. neque; C. de codicil. §. furiosi, Instit. quibus non est permiffum facere testam. Donellus lib. 6. comment. cap. 5. Sesse tom. 1. decis. 56. Rodericus Suarez alleg. 1. In qua parte observandi sunt textus in l. 1. de suis & legit. hered. l. 15. §. filius, & §. ultimo, ff. de inoffic. l. filium 60. ff. de acquir. heredit. l. 17. §. si impubes, ff. de instit. act. & alii, quos adduxi in cap. 1. de testam.

## TITULUS XXVIII.

### De Sepulturis.

#### CAPUT I.

##### (a) Leo III.

**N**Os instituta majorum Patrum considerantes, statuimus, unumquemque in majorum suorum sepulchris jacere, ut Patriarcharum exitus docet. Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam, & etiam alienam. Dominum enim & magister alienam elegit ut propriam. Sed quia dignus est operarius mercede sua, tertiam (b) partem sui iudicii illi Ecclesiae dari censemus, in qua ecclesiae pabulo refici consuevit, ut juxta Apostolum sint consolationum focii, ut fuerint passionum: & sic demum ubicunque libitum fuerit, eligat sepulturam. Aliter ne fiat, auctoritate Domini nostri, qui per Prophetas locutus est dicens: Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui, sub anathematis vinculo detestamur; & contradicimus.

#### NOTAE.

(a) *Leo III.* ] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 3. & post Concilium Lateran. sub Alexandro III. p. 43. de sepultur. cap. 2. & ex epistola Leonis III. textum hunc citant Antonius Augustinus in notis ad 1. collect. in dicto cap. 2. Cironius in parat. ad hunc titulum. Nicolaus Lemaitre de iuribus Episcop. lib. 2. cap. ult. Unde cum in aliqua ex epistolis ipsius Pontificis editis à Vinio tom. 2. Conciliorum, Baronio tom. 9. anno 796. & 799. non reperitur, credo deductum esse ex aliqua epistola, quae temporis injuria perijt. Leo III. creatus fuit Pontifex die 26. Decembris anno 795. & Ecclesiam rexit usque ad annum 816. ut referunt Baronius, & Corjolanus in eodem anno, Ludovicus à Sancto Carolo in Biblioth. Pontificia, verbo Leo tertius.

(b) *Tertiam partem.* ] De qua portione patriarchali agemus infra, in cap. in nostra, hoc titulo.

#### COMMENTARIUM.

2. *Conclusio traditur & probatur.* ] EX hac Leonis epistola sequens communiter deducitur assertio: Unusquisque sibi potest eligere sepulturam ubicunque voluerit; decedens autem sine electione, in majorum suorum sepulchro est sepeliendus.

Probant eam textus in cap. Ebron. cap. unaqueque, cap. ubicunque, cap. placuit, 13. quest. 2. cap. ult. in princip. 16. 9. 1. cap. 3. cap. de uxore, in princip. & §. 1. hoc tit. cap. nimis, §. 1. de excess. Pralat. cap. plerique, de pacis, cap. ut privilegia, de privileg. cap. cum quis, cap. is qui, cap. final. hoc tit. in 6. cap. 1. de pactis, eodem lib. Clement. dudum, §. verum, hoc tit. Clement. final. §. final. de penis, cum aliis congestis à Crespetio in summa, verbo Sepultura. Consonat lex 5. tit. 13. partit. 1. Illustrant ultra laudatos in praesenti à Garaña, & Barbofa, idem Barbofa lib. 2. juris Eccles. cap. 10. num. 10. & de offic. Paroch. cap. 26. Petrus Gregorius lib. 1. partit. tit. 17. cap. 5. & lib. 2. synagm. cap. 13. num. 6. & lib. 33. cap. 23. Vigel. in method. jur. can. fol. 451. Tondus resol. canonic. cap. 115. Valenzuela consil. 18. Basilius de matrim. lib. 5. cap. 13. §. 2. Parladorius different. 66. §. 3. Fragolo de regim. Christ. Resp. 3. p. lib. 5. §. 17. num. 529. Zerda in iudicib. tom. 1. cap. 8. vers. 1. fol. 391. Cabreris lib. 2. de metr. cap. 5. num. 85. P. Mendo de iure academ. lib. 3. quest. 50. Frances de Eccles. Cathed. cap. 17. Murga tom. 2. disquisit. mor. tract. 8. disquisit. 1. cum sequent. Alteserra lib. 1. disquisit. cap. 12.

Sed hac assertio difficilis redditur ex sequenti juris consideratione; nam si testator eligat sepulturam

sepulturam, five non eligat, intra Ecclesiam non est tumulandus, *cap. nullus 13. q. 2.* Concilium Brachar. 1. *can. 18.* ibi: *Corpora defunctorum nullo modo intra Basilicam Sanctorum sepeliantur, sed si necesse est, de foris circa murum Basilicae.* Concilium Arelat. sub Carolo, *cap. 21.* Alia congerunt Antonius Augustinus *in epit. lib. 26. tit. 10.* Lindembrogius *in glossario, verbo Mortuos.* Savarus *in not. ad Sidonium, lib. 3. epist. 12.* Menardus *ad Sacram. D. Gregorii, fol. 238.* Ergo five electa sepultura, five non, defunctus decedat, intra Ecclesiam non est sepeliendus. Augetur primò hæc difficultas, nam etiam admittamus jam temporibus Leonis III. catholicos defunctos intra Ecclesiam sepeliri, non tamen ideo in sepulchro majorum erant sepeliendi, sed potius pro personarum distinctione, ut si clerici sint, in Ecclesia ubi resident, *cap. ubicunque 13. q. 2.* si monachi, in proprio monasterio, *cap. 1. 16. q. 1.* si laici in Ecclesia Cathedrali, *ex eodem tit.* Igitur non sunt necessariò tumulandi in majorum sepulchro. Secundò difficilis est præsens textus, dum supponit, dari sepulchra majorum, in quibus ratione illationis cadaverum parentum habeat quis dominium in eis; cum certum sit in locis sacris, & religiosis, utpote exemptis ab hominum commercio, nullum posse dari dominium, *l. in tantum, §. sacra, ff. de rerum divisi. §. nullus, Instit. eodem tit.* Igitur etiam in sepulchris, ubi sepulti sunt parentes, nullum datur dominium.

Quã dubitandi ratione ita fulcitur non obstantem, vera est præsens assertio, pro cuius illustratione primò sciendum est, sepulcræ jure naturali corporibus debita, ut fuscè prosequitur P. Faber *lib. 2. semest. cap. 1.* pro diversitate nationum usum varium fuisse: aut enim hominibus, vel animalibus devoranda defunctorum corpora objiciebant, vel alicui ex quatuor elementis commendabant, videlicet vel aëri exponebant, vel aquis immergebant, igne consumebant, aut terrâ condebant. Effedones populi Asiæ ad parentum funera vocati eorum cadavera edebant, honestius, & sanctius esse existimantes, ab hominibus, quàm à vermibus devorari, & ut hac ratione magnam pietatem ostenderent, seque illos juxta secum amare profiterentur. Herodotus *lib. 4.* Strabo *lib. 11.* idem referunt de Sidonibus Zenodorus *in collect. cent. 5. proverb. 25.* de Indis Herodotus *lib. 3.* de Ponticis D. Hieronymus *contra Jovin. lib. 2.* de aliis Tertullianus *contra Marcionem:* ex quibus illustrat Spondanus *de cæmeteriis sacris lib. 1. p. 1. cap. 4. num. 1.* Barcai, gens Hesperia, cadavera vulturibus devoranda objiciebant, eo quod aves illas sacras existimabant. Refert Alianus *lib. 1. histor. anim. cap. 22.* Idem tradit Iberis Justinianus *lib. 41.* & de aliis Spondanus *dicto cap. 4. num. 2.* Alex. ab Alex. *lib. 3. genial. cap. 2.* Silius Italicus *lib. 3.* quem usum reprehendit Dausquejus *ad orat. de zona Basilii Seleuci.* Sic etiam Æthiopes defunctorum corpora in flumina projicere consuevisse, existimantes id optimum esse sepeliendi modum, tradit Diodorus Siculus *lib. 3. cap. 1.* cuius moris rationem illustrat Spondanus *d. cap. 4.* Alii defunctorum corpora aëri dissolvi cupientes, arboribus affigebant, ut Scythæ, Silius *lib. 13. Tabarenti.* D. Hieronymus *lib. 2. contra Jovin.* illustrat Spondanus *dicto cap. 4.* Combustione etiam & igne cadavera consumenda esse, politiones D. D. Gonzalez, *in Decretal. Tom. III. Pars II.*

gentes tenuerunt, ut Romani, & Græci, à quibus Galli, & Germani acceperunt, ut referunt Cæsar *de bello Gallico,* Tacitus *de more German.* Sidonius *lib. 3. epist. 12.* ubi Savarus, Ovidius *lib. 3. de funere Elpen.* ibi:

— pia membra dolentes  
Condimus, atque arsit funus splendentibus  
armis.

Romani maximè hunc morem observarunt ex ratione, quam reddit Plinius *lib. 8. cap. 54.* his verbis: *Ipsum cremare apud Romanos non fuit veteris instituti, terrâ condebantur: at postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc institutum. Et tamen multa familia prius servare verius.* Unde more Romano condi est sepulcræ post rogum, & cremationem mandare, ut ex Tacito, Laërtio, & aliis illustrant Salvagnus *ad Ovidium in Ibin, vers. 151.* Sophranis *de funere Hebræor. digress. 2. cap. 1.* Hebræos cadavera non combussisse, etiam si dicantur combussisse, quia aromata super cadavera incendebant, bene profequitur Sancinus *in cap. 6. Amos, versu 10. & in 1. Regum, cap. 31. vers. 12.* & ante eum Hieronymus Magius *lib. 3. miscell. cap. 11.* Humationis ritus, ut cæterorum antiquior, ita & quamplurimis gentibus acceptior fuit, & sanctioribus ritibus celebratus, quippe & naturæ conformior; siquidem si terra fumus, in terram revertatur, ut *cap. 3. Genesis* dicitur; per humationem enim redditur homo humo, ut divina loquitur Scriptura *Ecclesiast. cap. 12.* Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad eum, qui dedit illum. Quod apud Prudentium sic expressum legitimus *hymn. in exequ. defuncl.*

Spiritus simul & caro vivit;  
Rescissa sed ista seorsum  
Proprios revocantur in ortus:  
Perit huius aethera fervens,  
Humus excipit arida corpus.

Itemque apud Lucretium *lib. 2.*  
Cedit enim retro de terra quod fuit ante  
In terras; & quod missum est ex aetheris oris  
Id rursum caeli relatum templâ receptant.

Et apud Phocylidem his verbis latine redditus *Poem. admonit.*

Spiritus usui à Deo datus est mortalibus, &  
imago Dei;  
Corpus ex terra habemus, & omnes in eam  
Resoluti pulvis sumus, celum verò spiritum  
recipit.

Sic & Euripides *in supplic.* cuius tamen versus apud Stobæum *serm. 122.* tribuntur Moschioni, seu Menandro.

Sinite jam terrâ mortuos operiri,  
Et unumquodque unde in corpus venit,  
Illuc redire: spiritum quidem ad aethera,  
Corpus verò in terram. Non enim postidemus  
Illud proprium, sed quædam hanc vitam incolimus.

Deinde restitendum est sua parenti.

Et apud Xenophontem *lib. 8. de Cyro,* Cyrus filius inhibens ne ipsum in auro, vel argento, aliave ulla re, præterquam in terra conderent, inquit: *Quid enim beatius, quam terre immisceri? quæ pulchra omnia, bonaque omnia gignit, & nutrit.* Plura Beyerlinch *tom. 2. Theatri, verbo Cadaver.* Joannes Andreas *de sepult. cap. 8.*

Secundò sciendum est, locum illum, ubi cadaver

De nomi-  
nibus se-  
pultura.

daver humatur, diversis nominibus appellari, nempe cæmeterium, polyandrum, monumetum, area, tumulus, mausoleum, sarcophagus, ergastulum, cœnotaphium, sedes, domus æterna, sedes sacra, quies, ut de singulis probant singillatim Franc. Maria Samuelius in *praxi de sepult. tract. 1. dispnt. 1. contro. 3.* Murga *com. 1. dispnt. mor. tract. 3. in proemio.* Et frequentius sepultura appellatur cæmeterium in *cap. consilii lusi, de consecr. Eccles.* ubi hujus vocis etymologiam illustravimus. Polyandrum dicitur, quasi pollutum antrum, propter cadavera ibi sepulta, ut probat Jul. Lavorus de præfco funerandi more, *cap. 6. num. 4.* Monumentum dicitur etiam a mōnendo, *l. 2. §. monumentum, ff. de religiosis;* quia ut ait D. Augustinus de *cura pro mortuis*, non ob aliud, vel memoria, vel monumentum dicuntur ea, quæ insignia sunt sepulchra mortuorum, nisi quia eos, qui viventium oculis morte subtracti sunt, ne oblivione etiam subtrahantur, in memoriam revocant, & admonendo faciunt cogitare. Area dicitur locus sepulturae apud Tertullianum in *Scapulam*, *cap. 3.* ubi doctè exponit Georgius Ambian. & Baronius *anno 203. num. 10.* & *anno 226. num. 7.* Tumulus dicitur, quasi tumens humus, quæ elevatur sepulto homine, *capite 10. Job. ibi: De uero translatus ad tumulum.* D. Hieronymus in *Muthaam*, *cap. 10.* Virgilius *3. Aeneid. ibi:*

*Hostilem ad tumulum Troja sub manibus altis.*  
Mausoleum propriè est sepulchrum Principis, dictum à Mausolo Rege Caria, de quo Jul. Lavorus supra, *num. 12.* Sarcophagus similiter dicitur sepultura à sarcophago lapide marmoreo, in quo primùm corpora condebantur. Ejus meminit D. Augustinus *lib. 18. de civitate Dei*, *cap. 5.* Ergastulum etiam à verbo Græco, quod significat quiescere, quia ibi corpora quiescunt. Cœnotaphium est locus vacuus, honoris tantum causâ: à Græcis dicitur inane sepulchrum, ejus fit mentio in *l. vel quod 6. l. monumentum, ff. de religiosis:* plura de eo Jacobus Gothofredus in *diatrib. de cœnotaphio.* Sedes appellatur à Paulo in *l. si quis enim 40. ff. de relig. l. necdum 10. C. eodem. ibi:* Sine dum perpetua sedi corpus traditum sit, *l. 3. C. Theodof. de sepulchro violato.* Dicitur tandem domus æterna, *l. 4. C. Theodof. de sepulchr.* quia cadavera in eo in perpetuum conduntur. In Petronii Antigen. epitaphio ita legitur:

*Hæc domus æterna est, hic sum situs, hic ero  
semper.*

Seneca in *Octavio, act. 4.* Jacobus Gothofredus in *l. 4. C. Theodof. de sepulchro violato,* Gutherus *lib. 2. de jure manuum, cap. 20.* Quam ob rem in antiquis lapidibus non raro sepulchrum domus æterna dicitur, ut in sequentibus, quos refert Fornerius *lib. 3. rer. quorid. cap. 6.* In primo ita.

MANILIA PAULA  
DE PARCIMONIO SVO  
SIBI, ET ELIO  
PAVLINO COMPARI SVO  
DOMVM ÆTERNAM DO-

Itemque in illo,

*Bis hic septeni mecum natales dies  
Tenebris tenentur dictis æterna domus.*

Quo tamen sensu apud nos, qui resurrectionem speramus, sepultura domus æterna dici possit, exponit Savarus ad *Sidonium, lib. 2. epist. 8.*

6. Tertio sciendum est, quod licet olim unus-

quisque in adibus suis defunctos sepeliret, ut ex Cicerone tradit D. Ilidorus *lib. 15. originum*, *cap. 8. & 11.* unde ortum ait Servius, ut domus Lares colerentur; tamen legibus XII. Tabul. cautum fuit, ne intra mœnia civitatis defunctorum corpora humarentur, comburenturque, his verbis: *Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urto.* Ex Cicerone refert Jacobus Gothofredus in *quatuor fontibus, tabul. 10.* quam illustrant Silvius, Revardus, & Balduinus, Rosinus *lib. 8. antiquit. cap. 6.* & faciunt textus in *l. 12. C. de relig. l. 6. C. de sepulchro violato, in Theodof. Paulus lib. 1. sentent. iii. 21. §. 2.* plura Pancirola *2. var. cap. 199.* Gutherus de *jure manuum lib. 3. cap. 33.* Joannes Andreas de *sepult. cap. 5.* Sophranis in *Davidem 3. p. cap. 3.* Savarus ad *Sidonium lib. 3. epist. 12.* Junius Polit. *q. 110. Salmur. ad Pancirolam lib. 1. tit. 62.* Raderus ad *Martianum lib. 1. epigr. 93.* Ramirez in *Pentecont. cap. 17.* Zerda in *advers. cap. 185. num. 91.* Imperatorque Hadrianus teste Ulpiano apud Cælium Rhodigum, *lib. 17. antiq. lect. cap. 19.* pœnam statuit auro-  
rum quadraginta in eos, qui in civitate sepulchra fecissent, quam fisco inferri jussit; immo & in Magistratus id permittentem eandem statuit pœnam; jussitque locum publicari, & inde cadaver transferri: quam prohibitionem etiam ad urbem Constantinopolitanam protulit Theodosius in *l. 6. C. Theodof. de sepulchro violato*, faulseque id rationi consentaneum, probat sanctus Vedastus, qui ut refert Durus in *ejus vita*, sepe sæpius repetebat; intra muros civitatis sepeliri neminem debere; quia omnis civitas locus debet esse vivorum, non mortuorum. Accedit etiam periculum, ne fœtore humatorum corporum vivi inficerentur. D. Ilidorus *lib. 1. supra;* aut dum corpora urebantur, domus accenderentur, & ita occasione rogi urbs aliquando conflagraret. Paulus *lib. 2. sentent. §. 22.* eam rationem assignat, ne intra urbis ambitum Divi consecratur, funestum aliquid appareat: causas alias adducunt Lælius Giraldus *lib. de viro sepeliendi ritus, non multum ab initio.* Joannes Kitmanus *lib. 2. de funeribus, cap. 22.* Gutherus de *jure manuum lib. 3. cap. 33.* Hujusmodi autem leges Imperatores, Vestales; optime de Republica meritos, clarosque viros, nonnunquam exemptos refert Cicero *ubi proxime;* nam & Publicola jus sepulchri intra urbem concessum tradit Dionysius Halicarn. *lib. 5.* idem de Vestalibus refert Servius *lib. 2. Aeneid.* & de Trojano qui urbanam adeptus fuit sepulturam, hæc habet Eusebius Cæsar. in *chron. Trajanus morbo in Selinunte perit, sive ut alibi scriptum reperimus, apud Seleuciam Isauria, profusio ventris eximius est anno ætatis 63. mense 9. die 4. ossa ejus in urnam auream collata, & in foro sub columna posita; solusque omnium intra urbem sepultus est.* Plura Pererius in *cap. 49. Genesis, dispnt. 4.* Savarus ad *lib. 3. Sidonii, epist. 12. verbo Campus.* Pancirola *lib. 2. var. cap. 199.* Gutherus de *jure manuum lib. 3. cap. 33.* Sophranis de *funer. Hebraorum 3. p. cap. 3.* Salmuth. ad *Pancirolam lib. 3. memorabit. 62.* Raderus ad *Martianum lib. 1. epigr. 93.* Ramirez in *Pentecont. cap. 17.* Sed licet extra urbem cadavera sepelienda ferrentur, non longè tamen à mœniis; unde Cicero *Tuscul. q. 5. Est* (inquit de Roma) *ad portas Agragantia magna frequentia sepulchrorum.* Tandem Imperator Leo in *Novel. 55.* legem hanc abrogavit, mortuos

mortuos jubens non nisi intra oppidorum moenia sepeliri. Plura Jacobus Gothofredus in l. 6. C. Theodos. de sepulchr. violat. Mendoza lib. 3. Concil. Illiber. cap. 4. num. 26. Amaya lib. 10. obs. cap. 6. num. 5.

7. De sepulchris familiaribus

Quarto sciendum est, Romanis itidem sepulchra fuisse, vel propria singulis, vel communia pluribus. Communia erant Romæ extra portam Exquilinam cadaveribus sepeliendis destinata, quem locum puticulos Romani vocitabant, ut ex Varrone, Festo & Horatio notatur Cælius Rhodigin. lib. 10. lectionum, cap. 17. Baronius in Martyrol. die 10. Februarii, & apud Hebræos fuisse plebi, ac peregrinis communia sepulchra, vulgò polyandria dicta, constat ex Jeremia cap. 2. vers. 19. cap. 26. in fine. & lib. 4. Regum, cap. 23. & apud D. Matthæum cap. 27. mentio extat sepulchra peregrinorum, pro qua emptus fuit à Principibus sacerdotum ager figuli ex triginta argenteis traditis Judæ. Sepulchra autem privata erant familiaria, vel hereditaria. Familiaria, quæ sibi quis, familiarique suæ constituit: hereditaria, quæ quis sibi, hæredibusque suis, vel quæ paterfamilias jure hereditario sibi acquisivit. Unde in eorum epitaphiis passim litteræ hæ insculptæ leguntur. H. M. H. S. id est, hoc monumentum hæredes sequitur: vel H. M. H. N. S. id est, non sequitur: vel etiam H. M. H. E. N. S. id est, hæredes externos non sequitur. Innumera exempla ex antiquis inscriptionibus tradit Gutherus in scriptis. cap. 17. & nonnulla explicat D. Josephus de Retes in epitaph. illustrata. Illud tamen discrimen versabatur inter sepulchra familiaria, hereditariaque, quòd familiaria ad agnatos pertinebant, l. jus 8. l. 13. C. de relig. ad eosque, qui in familia erant, eorumque successores, licet hæredes non essent, dum tamen in familia persistenterent. Familiæ autem appellatione communi jure veniebant omnes agnati, qui ex eadem domo, & gente proditi fuissent, in quam & libertos humanitatis ratione adscisci moris erat; ita tamen, ut jus sepulchri in patronorum monumentis non haberent, nisi essent eis hæredes, quantumvis patroni monumentis suis inscripserint, sepulchrum se fecisse sibi, libertisque suis, l. 6. C. de relig. Illustrat latè D. Josephus de Retes ubi proxime. Hereditaria verò sepulchra patebant liberis utriusque sexus, aliisque hæredibus quibuscunque, etiamsi ex minima parte hæredes fuissent ex testamento, vel ab intestato, atque insuper bonorum possessoribus iis, quibus libertatis conservandæ causâ bona adjecta fuisset, l. vel quòd 6. l. si quis fuit 33. ff. de relig. l. quia perinde 42. ff. ad Trebel. l. 4. §. is autem. ff. de fidei commiss. libere. nisi fortè aliter justâ causâ testator aliquem exclusisset, dictal. vel quòd. 6. vel omnino cavisset, ne quis eò inferretur, l. 3. §. si quis in hereditate. ff. de sepulchro violato: observarunt Brissonius lib. 2. sect. cap. 14. Antonius Bossius in Roma subter. lib. 2. cap. 26. Ofvaldo ad Donellum lib. 4. cap. 1. littera X. Molina lib. 1. de primog. cap. 24. num. 4. Ramirez ad Martialem lib. 1. epigr. 115. & 117. & in Pentecost. cap. 17. & tunc illius omnium communis erat, & individuus, l. fundus 30. ff. famul. ecclis. quam explicat D. Joannes Suarez ad leg. Aquil. lib. 2. cap. 2. sect. 6. alia de sepulchris ex diversis gentium moribus & prisco funerandi ritu, congesserunt Joannes Meursius in tract. de funer. Kirmanus de funer. Roman. Gutherus de jure manium, Jul. Lavorus D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars I.

de prisco sepel. more, Lælius Giraldu de funerandi ritu, & alii relati ab Ofvaldo libro lib. 4. comment. cap. 1. Sophranis de funere Hebræor. Onufrius, Panuinus & Spondanus de cameteriis, Jul. Clarus, & Silvius lib. singul. ad leges XI. Tabul. ex cap. 22. Befoldus tom. 2. polit. consider. 3. polit. de sepultura.

8. De sepulchris Christianorum.

Quinto sciendum est, Christianos primis illis temporibus, quibus Judæorum, vel Gentilium inter quos vivebant, civilibus, ac politicis legibus tenebantur, etiam extra urbes defunctos sepelisse; sed pace Ecclesiæ datâ, ubi Christianæ religionis cultus publicè haberi poterat, non solum intra ipsas urbes, verum & intra Ecclesias cadavera condidisse, ut jam temporibus Marcelli Papæ usitatum fuisse constat ex Anastasio Biblioth. in ejus vita, ibi: Constituisse in urbe 25. titulos, propter baptismum, & penitentiam eorum, qui converterentur ex paganis, & propter sepulturam Martyrum. Nec solum sancti Martyres intra Ecclesiam sepeliebantur, verum & fideles laici, ut participes fierent sacrificiorum, & precationum, quæ in eis fierent, & meritis Sanctorum, quorum reliquæ ibi quiescerent, adjuvarentur, ut piè edoctus Constantinus Magnus sano consilio, ac providâ dispensatione ut ait Eusebius in ejus vita lib. 4. cap. 60. In Basilica SS. Apostolorum quam ædificavit, sepulchrum sibi constituit, eo quod speraret fore, ut defunctus quoque precationum, quæ ibi essent ad Apostolorum gloriam offerendæ, participes efficeretur, sicque plurimum utilitatis illorum memoriæ animæ suæ conciliaturam. Non tamen locum hunc intelligas de ipso interiori templo, sed de limine, seu vestibulo; cum tam Constantinus Imperator, quam Theodosius, & Honorius ejus successores in porticu, & vestibulo Ecclesiæ sepulturam sibi elegerint, ut ex Chrysofomo, Evagrio, & Nicephoro referunt Spondanus lib. 1. de cameteriis, p. 3. cap. 14. num. 4. Sozomenus lib. 2. cap. ult. D. Chrysofomus homil. 26. in 2. ad Corinth. Fideles ergo sine discrimine in cameteriis, & Ecclesiis ipsis olim sepeliri constat ex Concilio Carthag. 4. can. 81. ubi jubetur, ut mortui penitentes afferantur Ecclesiæ, & sepulchris: & ex questione illa S. Paulini, qui interpellavit S. Augustinum, utrum profit alicui post mortem, quod corpus ejus apud Sancti alicujus memoriæ sepeliatur? Cui S. Augustinus respondens, eruditum librum de cura pro mortuis agenda composuit, ex quo citatur textus in cap. non estimeamus, 13. q. 2. ubi eleganter expressit Sanctus, quantum profit fidelibus sepultura intra Ecclesiam; quod & docuit S. Maximus Episcopus Taurin. in Homil. in Natal. Sanctorum, quæ est etiam apud D. Ambrosium concione 6. de Sanctis, ibi: Ideo hoc à majoribus provisum est, ut Sanctorum ossibus nostrâ sociemur, ut dum illos tartarus metuit, nos poena non tangat; dum illis Christus illuminat, à nobis tenebrarum caligo defugiat: cum sanctis ergo Martyribus quiescentes, evadimus inferi tenebras eorum propriis meritis, at amen conscii sanctitate: Et ideo veneremur eos in seculo, quos defensores habere possumus in futuro; Et sicut eis ossibus parentum nostrorum jungimur; ita & eis fidei imitatione jungimur. In nullo enim ab ipsis separari poterimus, si sociemur illis tam religione, quam corpore. Et sanctus Ambrosius dilectissimum fratrem suum Satyrum sepeliens juxta Victorem Martyrem, memoriæ ejus hoc celebravit terrasticho:

*Oratio Satyro supremum frater honorem  
Martyris ad lavam detulit Ambrosius.  
Hac meriti merces, ut sacri sanguinis humor  
Finitimas penetrans adiuat exuvias.*

Sed postea ob viros casus à D. Gregorio lib. 4. dialog. cap. 50. quos etiam describit Lucas Tudenfis contra Albigeos, cap. 15. & 16. lib. 2. cap. 23. relatos, quorundam pravorum hominum in Ecclesiis sepulchrorum, qui inde divinitus eiectioni sunt, ecclesiasticis legibus cautum fuit, ne quis in Ecclesia sepeliretur, & toto orbe eum morem receptum fuisse, ipsa Conciliorum, & SS. Patrum decreta testantur. In Italia Pelagius II. anno 580. ita decrevit: *Item placuit, ut corpora defunctorum nullo modo intra basilicam sepeliatur, sed si necesse est, foris circa murum basilicæ.* In Hispania idem statutum fuisse constat ex Concilio Brachar. 1. can. 18. supra relato, ubi notavit Loaysa. In Germania idem cautum fuit in Concilio Tribur. can. 17. Mogunt. can. 42. relatis à Gratiano in cap. nullus, cum sequent. 13. q. 2. In Gallia ex Concilio Nannet. can. 6. relato in cap. præcipiendum 13. q. 2. Meldensi can. 9. Theodulpho Aurelian. Episcopo ad fratres compresbyteros, ibi: *Antiquus in his regionibus in Ecclesia sepeliendorum mortuorum usus fuit, ut plerumque loca divino cultui mancipata, & ad offerendum Deo hostias preparata, cæmeteria, sive polyandria facta sint, unde volumus, ut ab hac re deinceps absterneatur, ut nemo in Ecclesia sepeliatur.* Alia ecclesiastica edicta refert Suarez tract. 2. de relig. lib. 3. cap. 8. num. 7. Unde in l. 2. C. de sacros. Eccles. Imperator Gratianus, & Valentinianus sanxerunt, ut nemo Apostolorum vel Martyrum sedem humanis corporibus existimet esse concessam, ubi pro humanis, restituit humanis, Mornacius ibi. P. Burg. lib. 1. elect. cap. 6. qui eruditè textum illum exponit. Illustrant hanc Ecclesiæ prohibitionem Baronius anno 226. num. 7. Conradus Kling. lib. 4. locorum commun. cap. 53. Vivar. ad Marcum Maximum, in Sancto Joanne vindicato, §. 11. Gibalinus de simonia, q. 12. consecr. 6. Lemaitre lib. 1. de iuribus Eccles. cap. 16. Petrus Gregorius lib. 2. synagm. cap. 13. & lib. 1. partit. tit. 15. cap. 3. Barbosa de iure Eccles. lib. 2. cap. 10. num. 16. Lindembrogus in glossar. verbo Mortuus, Zerda in advers. cap. 81. Savarus in notis ad Sidonium lib. 3. epist. 12. Benedictus Haaphtenus tom. 1. disquisit. lib. 7. tract. 1. disquisit. 2. Menardus ad Sacram. D. Gregorii, fol. 268. Frances de Eccles. Cathed. cap. 17. Murga tom. 1. disquisit. mor. tract. 3. disquisit. 3. per totam. Sed cum eisdem Ecclesiæ legibus aliqua personæ exciperentur, quibus concedebatur sepultura in Ecclesia, Concilium Mogunt. d. can. 52. ibi: *Nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni presbyteri, vel fideles laici.* Triburiense d. can. 17. ibi: *Nisi forte talis sit persona iusti hominis, qui per vita meritum talem vivendo, suo corpore defuncto, locum acquisivit.* Varia exempla refert Onuphrius de ritu sepeliend. Christ. cap. 7. Postea quod ab initio dignitatis, & virtutis causâ paucis concessum fuit, ita paulatim relaxatum est, ut omnibus, nullâ dignitatis aut sanctitatis habitâ ratione, liceat in Ecclesiis habere sepulchra, cap. Ecclesiam, de consecrat. dist. 1. cap. sicut antiquitus 17. q. 4. cap. ex parte, cap. cum liberum, hoc tit. Amplius & cœperunt sepulchra esse familiaria, ita ut nullus, nisi ex familia, in eis sepeliatur. Concilium Matifcon. 2. can. 17. plura Murga tom. 1. disquisit. mor. tract. 4. disquisit. 5.

Quibus ita animadvertis ratio præsentis assertionis quoad primam partem, ubi docetur ecclesiastica sepultura electâ à defuncto, ipsum in ratio dicitur Traditur ea sepeliendum esse, provenit ex vulgari principio, quo docetur, supremam testatoris voluntatem adimplendam esse, l. 1. C. de sacros. Eccles. l. vel negare 5. ff. quemadmod. testam. cap. final. §. quia ergo 13. q. 2. Secundæ verò partis, videlicet defunctum, non electâ sepultura decedentem, sepeliendum esse in sepulchro majorum, ex eo provenit, quia valde iucundum est ex hac vita decedentibus in majorum jacere sepulchro, ut patet ex illa ingenti sollicitudine Patriarchæ Jacob, qui proximus morti ita allocutus est filium Joseph Genesis cap. 47. *Si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo (quod genus iuramenti erat, ut exposui in cap. & si Christus, de iurejur.) & facies mihi misericordiam, & veni ad me, ut non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac, condâque me in sepulchro patrum meorum.* Et tandem in ipso mortis articulo post præstitam filii suis benedictionem, Genesis cap. 49. absolute illis præcepit dicens: *Sepelite me cum patribus meis.* Unde ait Cicero lib. 1. de offic. *Sanguinis conjunctio, & benevolentia devincit charitate homines; magnum est enim eadem habere monumenta majorum, iisdem uti sacris, sepulchra habere communia. Et votum morientium esse cineres suos in patriam deportari, constat ex l. alumne 30. §. ab heredibus, ff. de adimendis legat.* Hinc laudatur Philippus Macedonia Rex apud Justinum historicum lib. 9. dum ait: *E bello consumptorum corpora sepultura reddidit, reliquiasque funerum ut ad sepulchra majorum referrent, ultro hortatus est; ut & Polybius retulit lib. 5. histor.* Sic Alexander Darii mortem prosequutus est, demptaque sibi chlamyde corpus illius contexit, atque regio ornatum cultu ad matrem majorum suorum tumulo inferendum misit. Quintus Curtius lib. 5. Sophocles in Electra, scen. 6. hoc doctè insinuat dicens:

*Impositum igitur ardenti rogo  
Statim cremavimus, redactumque tenuem  
In pulverem, atque vasculo inclusum brevi  
Ex Phocidæ hoc viri tulere, ut patrio  
Partem sepulchri adipisceretur in solo.*

Idem scena 7.

*Ferâ qua subriperem nece, ut sic mortuus  
Hoc tempore hic saltem jaceret, patrio  
Sortitus in tumulo locum.*

Et pro maledictione habetur in sepulchro majorum non sepeliri: dictum est enim Propheta 3. Regum. cap. 13. eo quod contra præceptum Domini comederat in Bethel: *Non inferetur cadaver tuum in sepulchro patrum tuorum: d. cap. unquam, 13. q. 2.* Apud Abderides lege cautum erat, ut qui patrimonium prodegerat, sepulchro patrio non humaretur, sed externo, ut tradit Diogenes Lærtius in Democrito, Tiraquell. & Alex. ab Alex. lib. 6. dier. genal. cap. 14. Unde Catullus epigr. 63. ad Manlium hoc sentiens dicit:

*Quem nunc tam longe, non inter nota sepulchra,  
Nec prope cognatos composuimus cineres;  
Sed Troiâ obscurâ, Troiâ infelice sepulchrum  
Detinet extremo terra aliena solo.*

Ut enim ait Ovidius:

*Mollis ossa cubant manibus rumulata suorum,  
Qui & ideò optabat decedere in patria antequam  
in exilium mitteretur, ut referri lib. 3. Tristium,  
eleg. 3.*

Quantum

*Quantum erat, d' magni peritura parcere Divi  
Ut saltem patriâ contumularer humo.  
Tam procul ignotis igitur moriemur in oris?  
Et fient ipso erisita fata loco?*

*Sed sine funeribus caput hoc, sine honore sepulchri,  
Indeploratum barbara terra teget?*

Quomodo etiam apud eundem *epist. 10.* infelix Ariadna derelicta à Theseo in insula ait:

*Ergo nec lachrymas matris moritura videbo:  
Nec mea qui digiti lamina condant erit.  
Spiritus infelix peregrinas ibis in auras,  
Nec positos artus unget amica manus.*

Et idem *epistol. 11. de Canace*, ad fratrem Macareum:

*Tutamen è frustra misera sperare sorori,  
Sparsa precor nati collige membra tui.*

*Et refer ad marem, socioque impono sepulchro.*

*Ornaque nos habeat, quamlibet arcta,  
duos.*

Et eadem etiam ratione apud Virgilium *Aeneid. 10.* Maxentius ab Aenea lethale vulnus accepturus hoc tantum rogat, ut confortam nati Laui, quem paulò ante idem Aeneas interemerat, concederet sepulchro: & mater Euriali ejus necem inconfolabiliter lugens, apud ipsum *libro 9. Aeneid.* ait:

*Heu terra ignota! canibus data preda Latinis,*

*Alitibusque jaces: nec te tua funera mater  
Produxit, pressive oculos, aut vulnera lavi.*

Sic & Catullus *carm. ad Manl.* de fratre apud Trojam mortuo, ait:

*Quem nunc tam longè, non inter nota sepulchra.*

*Nec prope cognatos compositum cineres.  
Sed Troiâ obscurâ, Troiâ infelice sepulchrum  
Derinet à nostro terra aliena solo.*

Et Propertius *lib. 3. elegia 5. in naufragio Pati*, dolet.

*Quâd mater non justa pia dare debita terra  
Nequit, è cognatos inter humare rogos.*

Et apud Quintilianum *declamar. 11.* Dives ille miser ego, nec ad cadavera (filiorum scilicet) accessi, non in sepulchra majorum meis manibus intuli. Rectè ergo à Leone III. in præfenti juxta votum naturale, & communem naturæ legem statuitur, defunctum decedentem non electâ sepulturâ, in

majorum sepulchro esse tumulandam, quia creditur juxta commune votum ibi sepeliri voluisse.

Nec obstat dubitandi ratio supra expensa de sepultura in Ecclesia non concedenda, cui satisfaciendum est juxta distinctionem temporum supra relatam. Nec augmentum primum ipsius difficultatis; nam textus ibi adduci procedunt quando defunctus, qui non electâ sepulturâ decessit, proprium sepulchrum non habebat, nec majorum suorum; tunc enim pro distinctione personarum sepultura decernenda est, juxta adducta de Romano Pontifice, Cardinalibus, Legatis, Archiepiscopis, Episcopisque à Julio Lauro *diçt. tit. 2. lucubr. cap. 11.* Si ergo parochianus intestatus decesserit, ita quod nec sepulturam, nec sepulchrum proprium habeat, sepeliendus est in propria parochia, *cap. ex parte 2. cap. cum liberum 6. cap. in nostrâ 10. de sepulturis.* Quæ tamen dicatur propria parochia quoad sepulturam, latè exponunt Barbosa *de offic. parochi cap. 26.* Basilius *de matrim. lib. 5. cap. 13. §. 2.* Nec obstat quod de sepulchri dominio expendebamus; nam dupliciter potest dici sepulchrum proprium. Primum quoad dominium, ut consideratur in aliis rebus prophanis; & hoc nullo modo dari potest, cum sepulchra, ut loca religiosa, extra hominum commercium sint: secundo quoad utum, & jus sepeliendi, & hoc modo rectè sepulchrum proprium dicitur: quapropter jus sepeliendi legari, aliterque concedi potest *l. monumenta 14. C. de legatis, l. 1. tit. 13. p. 1.* longâ possessione acquiri, *l. monumento- rum 6. C. de relig.* Balsamon *in nomocan. Phocii, tit. 2. cap. 2. pag. 49.* Antonius Clarus *ad h. Regias, cap. ultim.* Caldeira *lib. 4. variar. cap. 9. probavi in cap. ad aures, de prescript.* Unde pro usu sepulturæ remedia possessoria laicis competunt, sicut pro quocunque alio jure, quod possit possideri, *l. 1. ff. si servitus vendic. junctis l. si venditor 10. l. si quis sepulchrum 12. ff. de relig.* Ant. Clarus *lib. singul. ad leg. XII. tabul. cap. ultim.* Mindanus *2. tom. de interd. Murga tom. 1. disquisit. mor. tract. 4. disquisit. 1. cum sequent.* & de quotidiana praxi testatur Flores de Mena *ad Ant. Gammam decision. 54. numero 3.* unde hoc sensu sepulchrum proprium dicitur in præfenti.

## CAPUT II.

## (a) Leo Papa omnibus Fidelibus per Dardaniam constitutus.

Relatum est auribus nostris, esse quosdam perversè agentes, qui subvertere nituntur, atque dividere conantur Ecclesiæ unitatem, videlicet Abbates, monachos, qui non studio charitatis, sed zelo rapacitatis invigilant, atque seducere conantur sæculares, quos illaqueare possunt, ut res suas, atque possessiones, sive in morte, sive in vita monasteriis suis tradant, & (b) Ecclesiis, quibus subjactæ esse videntur, & à quibus baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam, nec non pabulum vitæ, cum lacte carnis acceperint, vel accipiunt, nihil de bonis relinquunt. Hunc denique fœditatem discordiæ nos animadvertendo modis omnibus inhibere volumus, & ne amplius fiat, omnino prohibemus, considerantes non esse bonum, si illi, qui olim foci fuerant passionis, secundum (c) Apostolum, sint immunes à societate consolationum, Et quia dignus est operarius (d) mercede sua, ideo præcipimus, atque mandamus, ut quicumque amodò monasterio converti voluerit, sive in morte, sive in

(c) vita, omnium rerum & possessionum, quas pro salute animæ suæ decrevit disponere, medietatem Ecclesiæ, cui ipse dignoscitur pertinere, relinquat, & sic in monasterio, prout libitum fuerit, eundi, convertendique habeat licentiam. Quicumque autem hujus edicti violator extiterit, gladio anathematis subiacet.

## N O T A.

1. (a) **L** *Eo.*] Etiam Leoni tribuunt præsentem textum Carnotensis *part. 7. Decreti, cap. 150.* Anselmus *lib. 5. cap. 51.* Papiensis *in 1. collect. sub hoc tit. cap. 4.* Cujus tamen Leonis sit, non constat, siquidem cum alii Leoni III. alii IX. tribuunt; & cum illi varias scripserint epistolas, quibus caremus, certò non possumus assignare, quis ex Pontificibus hujus nominis sit auctor præsentis textus.
- (b) *Ecclesiis.*] Parochialibus videlicet, ut infra dicemus *in titulo de Parochiis.*
- (c) *Apostolum.*] *1. ad Corinthios, cap. 2.*
- (d) *Mercede sua.*] *Matthæi cap. 19.* refertur *in cap. cum secundum, de prebend.*
2. (e) *In vita sive in morte.*] Glossa exponit, id est sive in ægritudine, sive in tempore mortis; sed perperam, nam casus ægritudinis satis illis verbis, *sive in morte.* comprehendebatur: quare verius credo, hæc verba accipienda esse ut sonant, videlicet sive sanus, sive in ægritudine constitutus, tempore mortis de rebus suis pro salute animæ suæ disposuerit. Nec tunc obstat textus *in cap. 2. de regularibus, in 5. compil. ubi Honorius III. Abbatibus Cisterciensis Ordinis ita scribit: [Significatis siquidem nobis, quod in quibusdam partibus consuetudo detestabilis inolevit, videlicet quod cum aliqui æmulantes charissimata meliora, monasteria vestri Ordinis volunt causâ religionis intrare, ut ibi Domino famulentur, Capellani eorum donec ab eis prius quæ mortuaria nuncupantur, extorqueant, prout à parochianis suis decedentibus consueverunt accipere, se illis temerè opponunt. Quare super hoc nostræ providentiæ remedium flagitatis. Volentes ergo ab usum corruptelæ hujusmodi aboleri, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut capellanorum contraditione hujusmodi non obstante, liberæ personæ ad vos à sæculo fugientes liberè recipere valeatis.]* Facit caput *andrimus, de simon.* nam pro hujus textus solutione sciendum est, olim non licuisse religionem ingredi absque prævio examine Episcopi

proprii, *can. 40. & 41. 6. Synodi,* ubi vetant Patres quemquam in monasterium admitti, aut in eremum secedere, & anachoretin, sine prævia examinatione Episcopi. Synodus Nicæna ex Arabico, *can. 14.* Synodus Provincialis Constantinopol. *can. 2.* Filelacus *in cap. quanto 7. §. 1. de offic. ordin.* nec absque consensu Plebani, eo quod jure parochiali ei obligati erant, *cap. 1. hoc tit. in 1. collect.* cujus verba dabimus infra priori commentario. Innocentius III. *lib. 1. regestr. 13. epist. 166.* ibi: *Dilecti filii Abbas, & Conventus Cisterciensis, transmissa nobis petitione monstrarunt, quod quidam Rectores Ecclesiarum Provincia Lugdunensis ab eis, qui vivi & incolumes ad eorum Ordinem transeunt, sibi fieri exigunt testamentum; & in eos, quos idem relinquunt in sæculo, propter hoc Ecclesiasticam exercent censuram, ac capitulum illud, quo eis à Sede Apostolica indulgetur, ut licet liberos, & absolutos, à sæculo fugientes recipiant, interpretantes sinistrè, asserunt eos, licet alii absoluti existant, & liberi, suæ ipsorum licentia non posse ad Religionem transire pro eo, quod jure parochiali eis obligati tenentur. Quocirca discretioni vestra per Apostolica scripta mandamus, quatenus presumptores prædictos à presumptione hujusmodi, monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam compefcatis. Et cum legissent, sæculum relinquentes mortuos mundo esse, & monachium morti comparari, Palladius *in Lausica, scilicet 85.* ibi: *Vivis, ne, an es mortuus? Credo in Deum me esse mortuum sæculo;* ab his qui ingrediebantur religionem, quantam mortuarius exigebant; quod deinceps fieri prohibuerunt Innocent. & Honorius, & sub distinctione Alexander *in cap. de his, hoc tit.* Leo autem in præsentem agit de illis, qui tempore ingressus Religionis testamentum fecerunt, & pro salute animæ suæ de omnibus bonis disposuerunt: & statuit, ut medietatem teneantur relinquere Ecclesiæ parochiali, non quia ingrediuntur monasterium, sed quia disponunt in testamento de bonis propriis pro salute animæ suæ; quo casu portio parochialis solvenda est, ut infra dicemus *in cap. nostra,* ubi commentarium hujus textus dabimus.*

## C A P U T III.

(a) Innocentius II. *Januensi Episcopo.*

**F**raternitatem tuam ignorare non credimus, mortuorum sepulturas, & cæmeteria apud illas Ecclesias, & monasteria ex antiquo esse disposita, in quibus religiosorum fratrum conventus sunt constituti, & orationes, atque Missarum solennia, tam pro vivis, quàm (b) pro defunctis frequentius celebrantur: unde ipsorum devotioni, & extremæ voluntati, qui apud hujusmodi Ecclesias sepeliri desiderant, minimè contradicendum est. Qui verò relictis antiquis Ecclesiis, & patrum, aliorumque parentum suorum sepulchris, contra consuetudinem Patrum veteris Testamenti, qui cum patribus suis sepulti esse leguntur, ad minùs religiosa loca se transferunt, irrationabiliter, & contra antiquam institutionem facere videntur. Unde si forte P.



de Castello contra tam antiquam, & rationabilem consuetudinem aliquid de corpore suo sepeliendo mandasse dicitur, hoc non præjudicat rationi, & viribus carere debet. Quocirca per præsentia scripta mandamus, & p. mandando, quatenus corpus ipsius P. dilectis filiis nostris monachis (c) S. Stephani reddi faciatis, & cum suis fratribus sepeliri.

## NOTÆ.

1. (a) [Innocentius.] In hac sexta collectione textus hic tribuitur Innocentio III. sed perperam, cum ejus auctor sit Innocentius II. ut habetur in 1. comp. sub hoc ritul. cap. 5. ex qua litteram etiam restituo: & cum Raymundus in compilandis Pontificum Decretis seriem temporum observaverit, non poterat Innocentium III. Decretalem compilare ante decreta Alexandri III. quæ sequuntur in hoc rit. nec si Innocentius III. esset præfens textus, poterat reperiri in prima collectione; siquidem hujus Pontificis decisiones tantum extant in tertia & quarta collectione. Innocentius II. antea Gregorius dictus, electus fuit die 14. Februarii, & coronatus Romanus Pontifex die 20. anno 1130. ut referunt in eo anno Baronius, & Coriolanus. Ludovicus à Sancto Carolo in *biblioth. Pontific. verbo Innocentius II.* Misit autem præsentem epistolam Januensi Episcopo, seu ut vetitis credo, Archiepiscopo; nam mortuo Sigefrido Januensi Episcopo anno 1129. Innocentius II. Januensem Ecclesiam in Metropolitanam erexit, & cum D. Bernardus esset electus in Prælatum ipsius Ecclesie, eamque dignitatem respuerit, electus fuit Syrus, qui Ecclesiam illam rexit per plures annos, ut refert Manrique *annal. Cister. anno 1130. cap. 6. in fine*: unde illi præsentem epistolam missam fuisse facile cognoscitur.

2. (b) [Tam pro vivis, quam pro defunctis.] Missarum enim sacrificia non solum pro vivis, verum etiam pro fidelibus sine desperatione defunctis, qui non decesserunt excommunicati, offerri possunt *cap. non est in me 13. quest. 2. c. anima, eadem quest. cap. sane 24. quest. 2. cum aliis congestis à Crespicio verbo Defunctis, & per me in cap. final. de testamentis.* Rationem reddit Ivo Carnotensis *epist. 198. his verbis: Quia incertum est status animarum post hanc vitam, non videtur otiosum, si pro his intercedimus, qui jam requie perfruentur, ut eorum requies augetur, & pro his qui vivis purgatorii deputati sunt, ut fidelium orationibus indulgentiam consequantur.* Probant & illustrant Gazeus in *notis ad Cassianum, collat. 2. cap. 5. Theophilus tom. 15. in Heteroccl. p. 2. sect. 1. puncto 6. Becanus tom. 3. opuscul. tit. de sacrific. pro mortuis. Petrus Gregorius lib. 1. part. tit. 23. cap. final. Baronius tom. 1. anno 34. Bellarminus de purgatorio lib. 2. cap. 15. Savarus ad Sidonium lib. 7. epist. 8. Ayala de tradit. Eccles. fol. 150. Pamelius in *notis ad D. Cyprianum, epistol. 51. num. 69. Vicecomes de ritibus Missæ, lib. 4. per tot. P. Henao de sacrific. Missæ, tom. 1. disput. 17. sect. 3. Nec contrarium statuitur in cap. non oportet 29. de consecr. dist. 1. in illis verbis: Non liceat Christianis prandia ad defunctorum sepulchra deferre, & sacrificare mortuis.* In quibus docetur, non licere accedere ad sepulchra mortuorum sacrificandi gratiâ, nam pro illius canonis expositione sciendum est, tam Judæos, quam Gentiles defunctis suis parentasse variis ritibus, & in feriis, inter quos præcipuum fuit epulum, cujus ritus*

apud Judæos mentio extat in *cap. 30. Ecclesiast. vers. 18. ibi: Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumposita sepulchro.* Et *cap. 4. Tobie*, legimus Tobiam senioreni filio jussisse panem, & vinum supra sepulchrum ponere: referunt Josephus *lib. 2. de bello judaic. cap. 1. D. Augustinus in psalm. 48.* Apud Gentiles proprium fuisse parentationis epulas ad monumenta afferre, probatur ex Tertulliano *de resurrect. carnis, cap. 1. ibi: Defunctis parentant, & quidem impensissimo officio, pro moribus eorum, pro temporibus esulentorum, ut quos negant sentire quicquam, etiam desiderare presumant.* Expressius in *lib. de anima, cap. 4. Gaudentius in tract. de lect. Exodi, ibi: Parentalia, unde malum idololatriæ extulit caput erroris; nam gula sue causâ primum ceperunt homines prandia mortuis preparare, quæ ipsi comederent. Post hæc ausi sunt sacrificia eis sacrilega celebrare, quamvis nec ipsi mortuis suis minus sacrificant parentalia.* Duplex autem epulum erat; unum defunctorum, cum ad eorum bustam epulas ferales cognati deferrebant, quæ leviter degustate igni tradebantur; de quo epulo agunt Ovidius, Virgilius, Lucianus, & alii relati ab Spondano *lib. 1. de cameteriis, cap. 17.* Aliud erat epulum vivorum, quod amici & sanguine proximi ad sepulchra eorum, quibus parentabant, solebant inire, de quo plura adducunt Sophranis *de funere Hebraor. cap. 5. Gutherus lib. 2. de jure manium, cap. 12. Spondanus dict. cap. 17. Pineda in cap. 7. Ecclesiast. ad vers. 3. Serarius in cap. 3. Tobie, circa præcept. 7. Cornelius in cap. 30. Ecclesiast. 2. p. Kirmanus de funer. lib. 4. cap. 4. 5. & 6. Lælius Bisciola tom. 1. horar. suc. lib. 11. cap. 4. Sanctraellus in *postpraxi medic. cap. 46.* quæ parentationes dicebantur humana sacrificia. Festus Pompejus *verbo Humanum*: quem morem parentandi à quibusdam superstitionis Christianis diutius observatum fuisse in festo Cathedralis sancti Petri, immò & tractum ad Martyrum sepulchra, & Basilicas, exterminare curavit D. Augustinus *homil. 15. de Sanctis, & lib. 8. de civit. Dei, cap. 27. & lib. de moribus Eccles. cap. 34. & epist. 84. ad Ardium.* Cyprianus *de duplici marty. Concil. Brachar. 2. can. 69. Carolus in Capitularibus lib. 6. tit. 194. Concil. Turon. 2. can. 23. Laodic. can. 28. Carthag. 3. can. 30. sexta Synodus Trullana can. 74.* Hoc ergo genus sacrificii per parentationem cum epulis prohibetur in *dict. cap. non oportet*, non verò sacrificium Missæ, quod pro mortuis offerri posse, supra probavi.*

(c) S. Stephani.] Quod monasterium Ordinis est D. Benedicti in diocesi Januensi.

## COMMENTARIUM.

EX hoc textu sequens communiter deducitur disputanda assertio: *Eligens sepulchram in monasterio, aut loco religioso, ibi sepeliendus est; se- 3. conclusio traditur, & probatur.* *cus vero si in loco minus religioso.* Probant eam textus in *cap. 1. cap. 2. cap. de his 4. cap. ex parte 5. cap. cum liberum 6. cap. in nostra 10. hoc rit. cap. 1. eodem*

eodem tit. lib. 6. Clement. dudum, eodem tit. cap. privilegia, de priviil. cap. 1. de passis lib. 6. cap. 2. hoc tit. in 1. collect. ubi ita ait Paschalis II. *Voluimus, & juxta canonum statuta probabile nobis videtur, ut sicut morienti conceditur judicium rerum suarum facere cuicunque loco sibi placuerit, sic nimirum iustum est sui corporis habere licentiam illud iudicandi in quocunque loco voluntas ejus exiterit, sive in monasteriis, sive in aliis religiosis locis.* Illustrant ultra congestos à Barbofa & Garanna in presenti, Jul. Laurus dist. tit. 2. Incubr. cap. 11. Bruno Chaffaing. de priviil. regul. tract. 2. cap. 7. propof. 3. Murga tom. 1. disquisit. tract. 4. disquisit. 12. & alii supra in cap. 1. congesti.

4. Impugnatur tradita assertio.

Sed hæc assertio difficilis valde redditur. Primo in ea parte, ubi docetur, eligentem sepulturam in monasterio, ibi sepeliendum esse, ex eo; nam absque proprii Parochi licentia nemo in monasteriis sepeliri potest. D. Gregorius relatus in cap. 1. hoc tit. in 1. collect. ubi ait Pontifex: *Monachi corpora, tam vivorum, quam mortuorum deferre ad Ecclesiam suam nequaquam audeant, nisi assensu, & petitione Ecclesie, qua eis dum viverent consuluit, & consulendo servavit, ac ministravit. Quod si fecerint, ut invasores sanctæ Ecclesie, sub districti anathematis interpositione, quousque satisfaciant Ecclesie, fieri precipimus.* Ergo et si quis eligat sepulturam in loco religioso monachorum, ibi tumulandum non est, nisi consentiat proprius Parochus. Secunda pars assertionis, ubi docetur eligentem sepulturam in loco minus religioso, in eo tumulandum non esse, impugnatur sequenti consideratione; certum enim est, ultimam defuncti voluntatem modis omnibus adimplendam esse, cap. ultim. 13. quest. 2. cap. nos quidem, cap. si heredes, de testam. quia publicè interest defunctorum voluntates exitum habere, l. vel negare 5. ff. quemadmodum testamenta. Ergo sive quis in loco religioso sepulturam eligat, ibi sepeliendus est, præcipuè cum parum inter sit, sepultura fit in loco religioso, vel non. D. Thomas in 4. distinct. 47. quest. 2. artic. 3. Guillelmus Conventrensis in elucidario ex sancto Anselmo, ubi interrogatus an iustus obstr non sepeliri in loco sacro, respondet: *Nihil proorsus; totus enim mundus est templum Dei, quod dedicatum est sanguine Christi; & sive in campo, sive in silva, vel in palude, vel in quovis loco sepeliantur, vel projiciantur, vel à bestiis, vel à belluis devorentur, semper in gremio Ecclesie consoventur.* Quos enim peccata deprimunt, non ad absolutionem, sed potius ad majoris damnationis cumulum eorum corpora in Ecclesiis tumulari docet D. Gregorius lib. 4. dialog. 50. 51. & 53. ubi id horribilibus exemplis confirmat, cap. sacris, hoc tit. in fine, ibi: *Cum non obstr iustus sepultura nulla, vel vilis; impiis tamen celebris, vel speciosa non prodest.* Sepultura enim, & funeris cura potius ad solatium vivorum, quam ad subsidium defunctorum spectant, ut docetur in cap. animar. questione 2. ergo sive quis eligat sepulturam in loco religioso, sive non, ejus voluntas semper adimplenda est. Faciunt exempla piorum virorum, qui extra Ecclesiam sepeliri voluerunt, ut Sanctus Vedactus, referente Albino Flacco in ejus actis; sanctus Ephrem, & Constantinus Magnus, sepulchrum extra, non intra sacras ædes sibi curantes. In vita S. Amati in fine ita

legitur: *Justit igitur sodi sepulchrum in ipso aditu Basilice Maris Dei.*

Quâ difficultate ita fultitâ non obstante, vera est præfens assertio, pro cujus expositione sciendum est, crescente in dies Christianâ religione, in cæmeteriis, deinde in porticu, tandem in ipsis Ecclesiis fidelium cadavera sepeliri permillum fuisse, cap. ubicunque 13. quest. 2. cap. sicut antiquitus 17. quest. 4. Unde jam diu invaluit, fidelium sepulturam posse concedi prope, vel intra Ecclesiam, ut supra in cap. 1. probavi; non tamen permittitur supra, vel juxta altare, cap. præcipiendum 12. quest. 2. cap. non oportet 19. de consecr. dist. 2. Concil. Nannet. can. 11. docet Ferraciensis in opus. de non sepeliendis mortuis prope aras; ita enim debent esse remotæ sepulture ab altaribus, ut Sacerdos dum Missæ sacrificiū celebrat, non cogatur pedibus insistere supra defunctorum corpora, Concil. Tribur. can. 16. docent Fufcus de visitatione lib. 1. cap. 21. num. 15. Redoanus de simonia part. 3. capite 18. num. 19. Potest tamen eligi sepultura in monasteriis, in quibus religiosorum, seu Canonicorum regularium conventus sint instituti, & sacrificia pro vivis, & defunctis frequenter offeruntur: nec potest parochus impedire similem electionem, ut latè probant Bruno Chaffaing ubi proxime. Nec solum in monasteriis religiosorum, verum & in monialium Ecclesiis potest quis eligere sepulturam, dum tamen intra claustra, seu septa ipsius monasterii, sepultura non eligatur, quia cadavera virorum in monasteriis monialium deferri prohibitum est, novel. 133. lustin. cap. 3. docet Natta volum. 2. consil. 432. Murga tom. 1. disquisit. tract. 4. disquisit. 12. ad finem, conclus. 7. Deinde sciendum est, non solum turpes testatorum voluntates observandas non esse, l. qua 8. §. 5. ff. de condit. insti. verum nec ineptas circa sepulturam, l. servo 113. §. ineptas, ff. de legat. 1. Donellus lib. 8. comment. cap. 12. uti si testator jubeat reliquias suas projici in mare, aut sepeliri cum vestimentis ferreis, margaritis, aut viriolis, l. ultimo. §. ult. ff. de auro & argent. vel secum pecunias sepeliri. Hujusmodi enim ineptæ voluntates, ut desinere rejiciuntur, dict. §. ineptas. Unde cognoscitur Diogenis insipientis voluntas, dum iustus ejus corpus inhumatum abjici, tantum baculo juxta illud appposito. Stobæus serm. 122. Diogenes Laërtius in vita ipsius. Unde improbandus venit Saladinus, qui testamento condito omnem funeris pompam abdicavit, iustitque tantum lanceâ præteriti atrii coloris obsoletam tunicam. Jovius in Saladinum, Bernegerus ad Tacitum quest. 141. Licet enim jus civile magnopere voluntatibus defunctorum indulserit, tamen hujusmodi voluntates ineptas neglexit, dict. l. servo 113. §. ineptas, notavi supra in cap. de testamentis. Tandem sciendum est, sanctum & pium esse sepulturam sibi in sacra æde curare, atque per eam valde juvari animas in Purgatorio existentes, nec non cadavera ipsa, ut variis argumentis probant Sanstarellus in post-praxi medica, capite 27. & 28. & qua longa disputatione addensat Henricus Spondanus lib. 1. de sacris Cæmeteriis, part. 3. cap. 14. Theophilus de martyrio part. 4. cap. 6. num. 7. & constat ex Sancto Augustino, cujus liber de cura pro mortuis in hoc ferè negotio consumitur; & ex Sancto Paulino carmine de obitu Celsi pueri, quem

quem ait curasse se inferri Basilicæ SS. Martyrum Complutensium.

*Ut de vicino Sanctorum sanguine ducat,  
Quo nostras illo purget in igne animas.*

Nec ferè aliter S. Ambrosius in fratris Satyri Epitaphio ait, se illum ad lavam Martyris in templo tumulasse.

*ut sacri sanguinis humer  
Finitimas penetrans abluat exuvias.*

Accedit, nam viventes ad Ecclesiam orationis causâ commeantes, dum incidunt in monumenta defunctorum, facilius excitantur ad orandum pro defunctis; quod est opus charitatis viventibus ipsi perutile. Deinde commonefiunt mortis, & sui ex hac vita exitus, quâ nulla est salubrior cogitatio; & ob hanc causam maxime cæmeteria, vel in adiu urbium & castellorum locata fuisse, observat Sanctus Chrysostomus *serm. de fide & lege nature*; vel ferè in viis frequentatissimis, cujusmodi ferè erant Romana, quorum longam seriem exhibet Onuphrius *de vita sepeliendi c. 12.* & apud ipsos Ethnicos, quod multis exemplis firmat Kirmanus *lib. 2. de funer. cap. 22.* Eandem rationem docuit Sanctus Gregorius *lib. 4. Dial. cap. 50.* ibi: *Quos gravia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis si in Ecclesia sepeliuntur, quod eorum proximi quotiens ad eadem sacra loca conveniunt, suorum, quorum sepulchra conspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt.* Etiam defuncti in Ecclesia sepulchri magis juvantur illis Ecclesiæ sanctæ precibus moraliter semper durantibus, quas semper fundit pro iis, qui sunt in loco benedicto, seu consecrato. Unde improbandi veniunt, & damnandi Waldenses, quos Piliardonius *tract. contra eos, cap. 22.* refert asseruisse, non plus referre sepeliri in loco sacro, quam in prophano, v. g. in agro aut horto: quod etiam referunt Aeneas Silvius *lib. de orig. Bohemorum, cap. 35.* Prætoolus verbo *Pauperes de Lugduno, num. 30.* idemque sensisse videntur Albigenes, ut colligitur ex Luca Tudenfi *lib. 1. contra eos, cap. 22.* quos refellunt Castro *adversus hereses, verbo Sepultura.* Theophilus Raynaud. *tom. 15. ad finem, fol. 549.*

6. Unde jam apparet vera decidendi ratio hujus textus; nam cum possit quilibet eligere sepulturam, tam in propria, quam in aliena Ecclesia, potest eam eligere & in monasterio, aut alio loco religioso: sed cum testator juberet in loco minus religioso sepeliri, hujusmodi voluntas, tanquam inepta, & turpis respuenda est; interest enim non parum sepeliri in loco religioso, vel in prophano, ut docet D. Augustinus *de cura pro mortuis, cap. 4.* & late probant Jul. Laurus *tit. 2. lucubr. cap. 14.* Spondanus *de cæmeteriis lib. 1. p. 3. cap. 14. & 15.* cum enim demonum incurfiones frequentius circa sepulchra fiant, ut Evangelistæ docent, dum narrant demoniacos spiritus habitasse in sepulchris, D. Mattheus *cap. 8.* D. Lucas *eodem cap.* D. Marcus *cap. 5.* veneficosque, & magos circa sepulchra habitare testantur Lucanus *lib. 6.* Ovidius in *Medea*, ibi:

*Perrumulos erat passim distincta capillis  
Certeque de repidis colligit ossa vagis.*

Apulejus *lib. 2. Metam.* ideo cum per sepulturam in loco religioso corpora ut in asyis quiescant, mediante ipsius loci consecratione, seu benedictione, inde justè Innocentius eligentem sepulturam in loco minus religioso, non esse in

eo sepeliendum ait, quia non creditur testatorem ita fuisse immemorem propriæ salutis, ut neglecto Ecclesiæ sepulchro, turpem sepulturam eligeret, contra commune fidelium votum.

Nec obstant dubitandi rationes supra expensæ. Non prima, nam verum est, jure communi inspecto, monachos non posse admittere alienos parochianos ad sepulturam in suis Ecclesiis, nisi privilegium haberent à Romano Pontifice, aut de licentia proprii parochi, *cap. in nostra, hoc tit. supra probavi in cap. 2. notat Cironius in cap. 2. hoc tit. in 5. compil.* Sed postquam privilegiis sibi ab Apostolica Sede concessis jus habent admittendi ad propriam sepulturam quoscunque, qui apud eos sepulturam elegerint, non possunt parochi, nec alii ordinarii illis hoc impedire, ut late probat Bruno Chassaing. *ubi supra.* Nec secunda difficultas obstat, nam licet ultima voluntas testatoris servanda sit; id tamen procedit cum juri conformis est, & bonis moribus non contraria, aut inepta; tunc enim eam adimplendam non esse, jam supra probavi: unde cum electio sepulture in loco minus religioso juri conformis non sit, nec fidelium moribus consona, ideo in præsentibus insuper habetur, & rejicitur. Nec obstat quod dicebamus de utilitate sepulture intra, vel extra Ecclesiam; licet enim sepultura in Ecclesia, & locis religiosis non profit defunctis ibi sepultis ex opere operato, hoc est, ex vi tantum sepulture; tamen valde prodest ex patrocinio Sanctorum, qui in illis locis coluntur, & precibus ministrorum Ecclesiæ, & cæterorum fidelium, qui ibi conveniunt, ut sacrificium Deo offerant; unde tot precibus & suffragiis privari per sepulturam in loco minus religioso, absurdum, & alienum est à moribus Christianorum. Quare rectè talis dispositio in præsentibus ab Innocentio improbarur, Nec exempla ibi relata aliquid faciunt; nam si quis vellet, ut fecerunt illi Sancti viri, extra Ecclesiam sepeliri ex humilitate, arbitrans se indignum jungi communi loco sepulture cum Sanctis intra Ecclesiam conditis, aut quiescere intra locum, in quo Christi corpus adest, iste quoque piè faceret, dummodo aliam sacram sepulturam eligeret, exempli gratiâ in cæmeterio, non verò si in loco minus religioso extra Ecclesiam, & ejus cæmeterium.

7. Sed supra traditis obstat textus in *cap. certum, de consecr. dist. 1.* ubi refertur, Megentiam nobilem Exponitur *cap. certum de consecr. dist. 1.* feminarum corpora suorum defunctorum sepelisse in propria possessione, & postea petiisse à Romano Pontifice, ut sibi liceret eo in loco oratorium construere, ut divina officia, tam pro mortuis ibi sepultis, quam pro vivis celebrarentur. Cui petitioni in partem annuens Pontifex, concessit illi, ut divina officia pro defunctis ibi sepultis possint celebrari, non autem pro vivis, hoc est, ut fideles divina officia ibi audirent. Ex quo textu expressè deducitur, posse defunctum sepeliri non solum in Ecclesia, aut monasterio, verum etiam in loco prophano, & minus religioso, ubi divina officia non celebrantur. Cui difficultati satisfaciendum est afferendo, in eo casu defunctum non elogisse sepulturam in loco minus religioso, sed nobilem illam mulierem cadavera tumulasse in oratorio à se constructo, ut sic facilius à Pontifice impetraret, ut ibi divina officia celebrarentur; cujus devotioni ut in partem Pontifex annueret, permisit divina officia

officia defunctorum ibi celebrari, juxta peculiare, & proprios ritus, quos refert Vicecomes *vol. 2. de ritibus Missæ, lib. 4. cap. 21.*

9. *Intelligitur cap. 3 §. final. hoc tit. lib. 6. in illis verbis: Si quis anti- quâ dimissâ, novam etiam in loco minus religioso elegerit sepulturam, electionem hujusmodi (licet jura super hoc videantur esse diversa) nequaquam volumus immutari.* Ex quibus aperte deducitur, valere electionem sepulture in loco minus religioso. Igitur non recte in presenti id negatur. Pro cuius textus interpretatione dicendum est, in eo decidi veterem antiquorum questionem, utrum videlicet in loco minus religioso possit testator eligere sepulturam? In qua variæ fuerunt antiquorum sententiæ, ut ibi Glossa refert. Quidam negabant, moti præsentis textus auctoritate; sed perperam. Nam aliud est eligere sepulturam in loco minus religioso, ut in oratorio, vel eremitorio, ubi non ita frequenter Missæ sacrificium celebratur; aliud verò in loco puro, & prophano. Primo casu electio sepulture sustinetur, *ex dict. capite 2. §. final.* secundo verò, cum sit inepta voluntas, & moribus fidelium contraria, improbat, quo casu procedit præfens textus.

10. *Exponitur canon 14. & 15. Concil. Alisiod.* Antequam hinc abeamus, exponendi sunt duo perdifficiles canones Concilii Alisiod. Primus est canon 14. ubi ita statuitur: *Non licet in baptisterio corpora sepelire.* Qui difficilis est præcipue si observemus, jam temporibus ipsius Concilii baptisteria fuisse intra Ecclesiam constructa, ut constat ex canone 18. ejusdem Concilii, & probat Vicecomes *de ritibus baptisimi lib. 1. c. 34. & 35.* Quare ergo intra baptisteria corpora sepeliri non possunt? Hujus canonis interpretatio provenit, ni fallor, ex eo, quod in baptisteriis Martyrum reliquæ condebantur, ut significaretur, etiam post mortem duraturam gratiam Dei, per baptismum infantibus traditam. Sic enim baptisterium descripserunt Prudentius.

*Electus Christi locus est, ubi corda probata  
Provebat ad cælum sanguine, purget  
aquâ.*

*Hic duo purpureum, Domini pro nomine casti,*

*Martyrium pulchrâ morte tulere viri,  
Hic etiam liquido fuit indulgentia fonte,  
Ac veteres maculas diluit amœ novo.*

*Anto coronati scandeant ardua testes*

*Avria, nunc loca celsa petunt anime.*

Et Euanodius epigram. 20. quod scriptum est in plures Martyres, super quorum reliquias Agellus baptisterium condiderat; ipsos autem vivis coloribus fecerat in proximo pariete depingi, ut constaret omnibus, qui Christi testes illic sepulti erant:

*Conditor Armenius, superum qui dignus honore est,*

*Hic peperit fontem vivificantis aqua,*

*Rapta sepulchris animavit corpora pictor,*

*Funera viva videns, mors erat in tumulis,*

*Illorum tamen iste lacus complectitur artus,*

*Quos paries facie, mens tenet alma fide.*

Ut ergo non confunderentur reliquæ Martyrum cum cadaveribus defunctorum, jubent Patres, ne in baptisterio, ubi recondite sunt reliquæ Martyrum, liceat defunctorum corpora sepelire. Alter est canon 15. ipsius Concilii, ubi ita legitur: *Non liceat mortuum supra mortuum mitti.* In quibus doceri videtur, nec etiam in Ecclesia licere mortuum supra mortuum sepelire. Pro cuius expositione Antonius Bossius *tom. 1. Romæ subter. cap. 20.* asserit, ex honestate tantum prohibitum esse mortuum supra mortuum ponere; non ex superstitione illa, quam refert Tertullianus *de anima capite 4.* videlicet optandum esse defunctis, ut illis sit terra levis: sed propter quandam decentiam, & honestatem prohibitum fuisse mortuum supra mortuum mitti, quia plerumque eveniebat, ut nondum marcidato cadavere, aliud supra poneretur, quod prohibuerunt PP. Concilii Maricon. ibi: *Comperimus multos, nec dum marcidatis mortuorum membris, sepulchro referare, & mortuis suis superimponere, vel aliorum (quod nefas est) mortuis suis religiosa loca usurpare, sine voluntate scilicet domini sepulchrorum: ideoque statimus, ut nullus deinceps hoc peragat, quod si statum fuerit, secundum legum decreta superimposita corpora de eisdem tumulis rejacentur.*

## CAPUT IV.

Alexander III. (a) *Spalensi Episcopo.*

DE his, qui in infirmitate, vel sanitate cum bonis suis ad religiosa loca se transtulerunt, nihil tibi, vel Ecclesiis, à quibus receperunt salutis pabula relinquentes, hoc tuæ prudentiæ volumus innotescere, quod si in ægritudine ipsa ad Religionem transeunt, dummodo de ægritudine decedant, de bonis suis ipsis Ecclesiis, à quibus assumpti fuerint, (b) canonica debet portio exhiberi. Si verò ad religiosa loca se in sanitate transtulerunt, de his, quæ locis ipsis conferent, cogi non possunt aliquid præscriptis Ecclesiis impertiri; quia liberum est eis tunc bona sua non religiosis locis, sed etiam quibuslibet personis privatis conferre.

## NOTÆ.

1. (a) *Spalensi.* Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 6.* ubi additur, *pars capituli continebatur:* post Concilium autem Lateran. p. 49. cap. 6. legitur tantum, *Lucius III.* Antonius Augustinus *in notis ad hunc textum,*

existimat, integram clausulam extare *in cap. 6. qui clerici, vel non.* & ita legendum esse *Hispalensi;* sed malè, cum Hispaliæ Bæticæ Metropolis temporibus nostri Alexandri III. fuisset à Saracenis occupata, usque dum S. Rex D. Ferdinandus ab eorum oppressione illam liberavit: quare credo legendum esse, *Spoletem.* Spoletem enim

enim nobilis Italiae urbs est, Romanorum Colonia, ut referunt Tit. Livius lib. 20. Volaterranus lib. 6. in *Geograph. fol. 169.* Theodoricus Gothorum Rex mirifice eam auxit, sed cladem magnam accepit à Friderico Oenobarbo, eo quod Alexandro nostro faveret, ut refert Tamayo in *Martyrol. Hispan. die 1. Januarii.* Metropolis fuit Vilumbrorum, ut probat Joannes Viterbiensis lib. 8. *antiquit.* et si postea à Gothis subversa fuerit, teste Blondo *decad. 1. libro 7. fol. 91.* Non me laeret, fuisse in Valconibus vetustam urbem Spalensem ad juga Pyrenaei, de cujus nomine Spalenses populos Plinius enumerat lib. 3. cap.

3. de quibus mentio extat apud Dextrum in *chron. anno 308.* ubi notarunt Vivar. num. 6. fol. 307. Roderic. Caro fol. 117. *littera B.* & fuisse in Valconibus Navarra, ubi hodie extat cœnobium in Ronca-Valle, credit Tamayo à Salazar tom. 3. *Martyrol. Hispan. die 18. Maji.* Sed cum non constet, temporibus Alexandri III. eam urbem Cathedrâ Episcopali fuisse decoratam, potius retineo in præsentî Spolet.

(b) *Canonica debet portio.* ] Juxta adducenda infra in cap. *certificari, hoc tit.* ubi commentarium ad textum hunc dabimus.

## CAPUT V.

## (a) Alexander III.

EX parte Canonicorum (b) Eburgensis Ecclesiâ nobis est intimatum, quod (c) Prior de Insula quendam parochianum eorum post (d) appellationem ad nos factam in Ecclesia sua sepelivit. Unde quoniam hoc Ecclesiasticæ institutioni contrarium esse dignoscitur, & à rationis tramite penitus alienum, ut quis falcem mittat in alienam messem: f. t. per A. f. m. ut præfatum Priorem moneas, & districtè compellas, quatenus memoratis Canonicis prædicti parochiani sui (e) corpus restituat, & exinde pacificè, & (f) amicabiliter cum illis conveniat, aut in præsentia nostra se non differat exhibere.

## NOTÆ.

1. (a) *Alexander III.* ] Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 1. nullibi tamen exprimitur, cui Prælo referat Alexander, credo tamen alicui Episcopo Scotia missam esse præsentem decisionem, cum in ea Provincia sint Canonici Insulæ, & Eburgenses, de quibus in præsentî agitur.

(b) *Eburgensis.* ] In sexta collectione legitur *Abrugen.* & Glosa marginalis emendat *Obargens.* seu *Obligens.* sed legendam credo *Eaburgen.* quæ Ecclesia est in Laudonia Scotiae provincia.

2. (c) *Prior de Insula.* ] Monasterium est canonicorum regulatum in Scotia, sub nomine Insulæ: & etiam dicta Ecclesia Cathedralis, dicta Insularum, est canonicorum regularium, ut refert Pennotus lib. 2. *hystor. canonic. regul. cap. 36. n. 5.* unde cognosci non potest de quo Priore agatur in præsentî.

3. (d) *Post appellationem.* ] Quæ appellatio non fuit interposita, ne cadaver sepeliretur, sed ne monachi de Insula admitterent ad sepulturam defunctos suos. Sepultura enim prætextu appellationis differri non debet; fieret enim impedimentum sepulturæ, quod jure non licet, ut à simili probant textus in l. *ultim. de appellat. recip. cap. quæ fronte 25. de appellat. Barbosa ad Concil. Trident. sess. 25. de regul. cap. 13. num. 8.* Frider. Mindan. *de interdicitis, tit. 2. num. 26.* Pichard. *in princip. Insit. de interdicit. ex num. 136.* Lara *de capellanis lib. 1. cap. 24. num. ultim.* Salgado *de procect. 2. p. cap. 9. ferè per totum.* Nec etiam si post appellationem interpositam ca-

daver sepeliatur, inducitur attentatum, ut probant Lancelotus *de attentat. capite 12. limit. 46.* Salgado *de procect. dicto tom. 2. part. 2. capite 9. num. 97.*

(d) *Corpus restituat.* ] Licet cadaver non restituatur, quando non agitur ad ejus restitutionem, ut in cap. *in nostra, hoc tit.* vel quando dubium superest circa possessionem, aut proprietatem, ne defuncti vexatio detur, ut docetur in cap. *conquerente, de resit. spol.* tamen cum certò constat de Justitia spoliati in possessione, & proprietate, ut in præsentî, etiam corpus defuncti restituatur; quia licet cadaver humatum in perpetua sepultura alio temerè transferre non liceat, tamen permittitur ejus translatio justâ interveniente causâ, & à judice approbatâ, l. 1. *C. de relig.* Et jure civili etiam translatio cadaveris permittitur Principis admittebatur, l. *nemo humanum, C. eodem titul.* aut Pontificali decreto, l. *ultim. ff. de mortuo inferendo.* Cum autem non perpetuè sepultura causâ corpus humatum est, sed tantum ad tempus depositum, impunè illud transferre licet, l. *si quis enim 40. ff. de relig. l. si nec dum 10. C. eodem, l. 3. §. non perpetuè, ff. de sepulchro violat.* & hoc sensu commendare corpus dixit Ulpianus in l. *et si quis 14. §. impensa, ff. de relig.* id est custodiæ causâ deponere. Nec necesse est pro *commendandum*, repone *condendum*, ut aliqui voluerunt, quos justè reprehendit Fornerius lib. 3. *rer. quotid. cap. 6.*

(f) *Amicabiliter conveniat.* ] Quia licet in rebus spiritualibus, aut illis annexis non adimatur pactio, cap. *final.* ubi probavi, *de pactis*: non rejicitur tamen amicabilis compositio, cap. *nisi essent, de præbend. cap. 4. de pactis*, ubi notavi.

## CAPUT VI.

Alexander III. F. (a) *Decano, & Magistro R. Rhemensis.*

**C**Um liberum sit de universis (b) constitutionibus Sanctorum Patrum apud religiosa loca in ultima voluntate sibi sepulturam eligere, canonicæ proculdubio obviat rationi, qui devotioni extremæ voluntatis decedentium in hac parte contradicere præsumit. Pervenit ad audientiam nostram ex conquestione Abbatis, & Fratrum (c) Sancti Martini (d) London. quod cum Presbyter quidam corpus cujusdam mulieris, prout in ultima voluntate sua disposuit, ad Ecclesiam Sancti Martini sepeliendum deferret, monachi Sancti (e) Vincentii Lugdonen. corpus ipsius violenter rapere, & ad Ecclesiam suam sepelire minimè dubitarunt: & hoc idem de filio Randulphi Canis præsumperunt, super quo utique vehementi sumus admiratione commoti, cum iidem monachi, & Sanctorum Patrum constitutionibus contrairent, & privilegia prædecessorum nostrorum, & nostra, quæ prædicti Fratres de libera se habere sepultura proponunt, satagunt violare. Inde est quod f. t. p. A. f. m. quat. utraque parte apud vos convocata, rei veritatem super hoc inquiratis, & si ita invenietis esse, præfatos monachos mōnere curetis, & auctoritate nostra districtè compellere, ut ossa præfatæ mulieris, & filii prædicti R. & beneficia, quæ occasione sepulturæ ipsorum recepisse noscuntur, memoratis fratribus cum integritate restituant, & de cætero facere similia non præsumant.

## NOTÆ.

- I. (a) **F** *Decano.* ] Ita legitur in secunda collectio-  
ne, sub hoc titul. capite 2. id est, *Alexan-  
der III. Fulconi Decano, & Magistro Radulpho Rhe-  
mensis.* Is verò Fulco est, cui scribit ipse Alexander  
in *epistol.* 2. & 4. Radulphus autem is est, cui ipse  
misit epistolam 28. quæ extat apud Sirmundum ut  
notat Bosquetus ad Innocent. *libro 1. epistol.* 4. De  
Rhemensis diocesis nonnulla notavi in *cap. 2. de ap-  
pellationibus.*  
(b) *Constitutionibus.* ] Suprà congestis in *cap. 3.*  
(c) *Sancti Martini.* ] De hoc monasterio non-  
nulla adduxi in *capite intelleximus 12. de atat. &  
qualit.*  
(d) *London.* ] Legendum est *Laudun.* Laudun-  
ensis enim civitas, vulgò *Laon*, est in Gallia, in  
Campaniæ & Picardiæ confinio posita: habet Ec-  
clesiam Cathedralē B. Mariæ dicatam, suffraga-

neam Rhemensis, cujus Præsules Duces, & Pares  
Franciæ nominantur ut referunt Chenu in *chronol.*  
*Gallie*, Fratr. Sarmath. *tom. 2. Gallie Christ.* fol. 616.  
Ejus Ecclesiæ mentio fit in *cap. 14. & 16. de re judic.*  
*cap. 33. de rescript.* *cap. 17. de prebend.*

(e) *Sancti Vincentii.* ] Monasterium hoc San-  
cti Vincentii Martyris Ordinis est D. Benedicti  
diocesis Laudunensis, Congregationis S. Mau-  
ri, à Brunichilde Regina fundatum, in quo re-  
sedisse 12. Canonicos refert Bosquetus ad *Innocen-  
tium libro 1. epistol.* 4. in quorum locum Adelinus  
Laudunensis Episcopus substituit monachos duo-  
decim è monasterio Sancti Benedicti super Lige-  
rim sito evocatis, ut refertur in *Chron. Floardi.*  
*anno Christi 921.* De eo Fratres Sarmathani *tom. 4.*  
*Gallie Christiane.* fol. 944. Textum hunc exposui  
in *cap. 8. de rescript. fol.* & ejus commentarium pe-  
tendum est ex *cap. 1. hoc tit.*

## CAPUT VII.

(a) *Lucius III. Episcopo Floren.*

**D**E uxore verò, utrum quemadmodum & vir liberam habere debeat sepulturam, vide-  
tur nobis quod nulla super hoc inter virum, & mulierem sit facienda distinctio, & in  
utroque, casu isto, æqualem esse credimus facultatem, cum electio ista ad eum potius sta-  
tum pertineat, in quo mulier solvitur à lege viri.

## NOTÆ.

- I. (a) **L** *Lucius III.* ] Ita etiam legitur in prima  
compilatione, sub hoc titulo *cap. 7.* sed  
malè, cum hujus textus auctor sit Urbanus III. ut  
legitur post Concilium Lateranen. *part. ultim.*  
*cap. 63. & in cap. literas, de conjug. leprof. cap. 6.*

*de divoritiis, cap. final. eodem titul. in 1. compil.*  
ubi extant aliæ partes ipsius textus, quæ sub  
uno capite ita habentur in *dict. cap. 63.* [Lit-  
teras fraternitatis tuæ debitâ benignitate suscepimus, quibus certiores de sinceritate tuæ  
fidei,

fidei, & devotionis effecti, ad honorem tuum, & commodum abundantius provocamur. Verum quia à nobis postulasti, utrum postquam desponsata inter aliquas legitimas personas contracta fuerint, & antequam à viro mulier traducatur, alter eorum lepra morbum incurrat, alter ad consummandam copulam maritalem compelli debeat, vel se possit ad secunda vota transferre: tua sollicitudini respondemus, quod ad accipiendum eum cogi non debet, cum inter eos matrimonium non sit consummatum. De illa verò, quæ viro suo labente in hæresim, ipsius confortium declinavit, utrum reverte illi ad Catholicam veritatem, ad redintegrandum matrimonium sit cogenda, videtur nobis, quod si mulier eadem dumtaxat intentione discessit, ut lapsus in hæresim, tædio pariter, & confusione affectus, se ab errore suo converteret, ei, cum reversus fuerit, est reddenda: quæ etiam si reverti noluerit, compellatur. Si verò iudicio Ecclesiæ sine spe matrimonii redintegrandi recessit, ad recipiendum eum nullatenus eam dicimus compellendam. De uxore verò, utrum quemadmodum & vir, liberam debeat habere sepulturam, videtur nobis, quod nulla super hoc inter virum, & mulierem sit differentia; sed utrique (in casu isto) æqualem credimus esse facultatem, cum electio ista ad eum potius statum pertineat, in quo mulier solvitur à lege viri. Utrum autem pater minores filios ubi magis voluerit, valeat sepelire, non invenimus à Sanctis Patribus definitum, & propterea terre consuetudini decernimus relinquendum. ] Florentia autem Etruriæ caput, & Metropolis est, magnorum Ducum in clyta sedes, de cuius origine, & amplitudine plura tradit Ughellius tom. 3. Ital. sacre, in princip. Eius Ecclesiæ Episcopalis tantum fuit à temporibus Melchiadis usque ad Martinum V. qui absoluto Concilio Constantiensi Romam rediens, ex itinere divertit Florentiam, ubi cum munificentissime reciperetur, relaturus non impares gratias, Cathedra Archiepiscopali ipsam Ecclesiam decoravit die 2. Maji, anno 1420. unde cognoscitur, quare Urbanus III. in præfenti tantum rescribat Præsuli Florentino sub nomine Episcopi.

## COMMENTARIUM.

<sup>2.</sup> **EX** præfenti textu sequens communiter deducitur assertio: *Mulier etiam nupta liberè potest sibi eligere sepulturam ubi voluerit.* Probat textus ab specie in capite is qui, §. mulier, hoc titul. in 6. & per argumentum omnes citati superioribus commentariis. Illustrant ultra repetentes in præfenti, & in dict. §. mulier, Petrus Gregorius libro 9. synagmatum capite 1. Parladorius libro 3. different. question. 66. §. 1. Spondanus de cæmeteriis part. 1. libro 4. capite 7. pluribus relatis Barbosa libro 2. juris Ecclesiastici, cap. 10. num. 19. Tondutus in resol. Canonice.

<sup>3.</sup> Sed hæc assertio non leviter impugnatur ex sequentibus juris principiis; nam vir & uxor eodem late viciant, l. 1. §. si vir, ff. ad Syllanian. l. sed neque 8. ff. de usu & habit. l. penult. ff. de donat. inter. Paulus libro 2. sentent. titul. 19. §. vir absens, & domus mariti lar matrimonii dicitur l. 1. §. domus D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

ff. de liberis agnoscend. Servius ad illud lib. 3. Virgii. Et patriâ Andromachum iterum cessisse marito. Secundum jus loquutus est, ait, quia uxor domicilium viri sequitur. Adde Gellium libro 13. capite 10. Artemidor. libro 2. capite 54. Augustinum de civit. Dei libro 6. capite 9. Sidonium libro 1. epistol. 5. & libro 2. epistol. 10. Et mariti bonorum sociæ sunt, atque participes. Illustrat Savarus ad Sidon. libro 5. epistol. 16. & nos in capite 2. de donat. inter. Et in una domo cohabitare debent, l. 4. §. 1. ff. de usu & habit. l. 111. ff. de F. O. Licet magnates viri aliquando seorsim habitarent, l. cum status 32. §. si mulier, ff. de donat. inter vir. l. nihil 15. ff. rerum amor. Fornerius libro 3. rerum quotid. capite 5. Unde proditum est, uxorem ejusdem civitatis cum viro incolam intelligi, l. ultim. §. 3. ff. ad municip. l. 1. Cod. de mulier. & ubi, libro 10. Tiraquellus in l. 1. conub. numero 28. Oswaldus libro 13. Donelli, capite penult. litera M. Sed sepultura defunctorum domus est, l. 4. C. Theodos. de sepulchro violato: illustravi supra in capite 1. ergo injustum est ut mulier, quæ superstitis viri domicilium sequuta est, eodem mortui tumulo non contegatur, ut ratiocinatur Zalius in l. penult. ff. de iurisdic. Unde D. Hieronymus relatus à Gratiano in capite Ebron. 13. quest. 2. ait: *Quod conjunxit nuptum conjugium, conjungat sepulchrum.* Quod & probatur exemplis primorum Patriarcharum, qui eodem sepulchro cum uxoribus conditi sunt, Genesis capite 25. & 49. Josue capite 14. & Tobie, qui filio suo præcepit, ut matrem sepeliret juxta ipsum in uno sepulchro, capite 4. & 14. Tobie: & Judith, quæ sepulta est cum viro suo, capite 16. Judith: fuisseque eam generalem Judæis consuetudinem, tam ex his constat, quam quod etiam in actis Apostolorum legitur capite 5. Sapphiram voce D. Petri extinctam, sepultam esse apud virum suum Ananiam, eodem eventu paulo ante defunctum. Narrat & D. Chrysostomus libro 1. de sacerdot. matrem suam ab ipso petiisse, ut corpus suum cum mariti ossibus conjungeret: & pariter D. Augustinus sanctam Monicam ipsius matrem magnâ curâ semper actuali de sepulchro, quod sibi providerat, præparaveratque juxta corpus viri sui, narrat libro 9. confess. capite 11. idque pluribus exemplis Christianorum, & Gentilium firmari poterat. Illud tamen non omitam, quod refert Gregorius Turon. lib. 1. Histor. Franc. cap. 42. & de gloria confess. cap. 32. de duorum nobilium Arvernorum sepultura: cum post perpetuam continentiam secretè in sancto conjugio ex pacto servatam, prior puella decessisset, ac peracto viri funeris officio puellam in sepulchro deponens, elevatis ad cælum manibus arcanum panderet, dicens: *Gratias tibi ago, eterne Domine, quia hunc thesaurum sicut à te commendatum accepi, ita immaculatam pietati tue restituo: ad hæc puella mortua subsidens, sile (inquit) sile vir Dei, quia non est necesse scireis nostrum, nemine interrogante, secretum.* Cum verò post paululum temporis vir quoque migrasset è vita, sepultusque fuisset in loculo separato alterâ parte Ecclesiæ, factum esse, ut sepulchra divinitus in unum jungerentur: Scilicet, ut quos teneret socios cælum (inquit Gregorius) sepulchorum his corporum non separaret monumentum.

rum. Secundo difficilis est præfens textus in ratione ab Urbano III. adducta, dum docet, uxorem posse eligere sepulturam, quia talis electio tunc fertur effectum, cum uxor non est; cum soluta sit per mortem à lege viri, nec amplius detur cohabitatio: nam si dispositio fiat tempore inhabili, licet effectus conferatur in tempus habile, adhuc non sustinetur: unde minor, qui propter ætatem manumittere non potest, si libertatem conferat in tempus, cum major fuerit, libertas non competit, nec effectum habet, *l. si minor, C. de servis expor.* ergo nihil interest, quod electio sepulturæ ab uxore conferatur in tempus habile, si dispositio fiat tempore inhabili. Accedit in terminis electionis sepulturæ, nam monachus, licet post mortem liberetur ab obedientia sui Prælati; tamen non potest eligere sepulturam, *cap. final. hoc tit. lib. 6.* ergo similiter uxor licet eligendo sepulturam conferat electionis effectum in tempus, in quo soluta est à lege viri, inutiliter sepulturam eligit.

4. Adhuc tamen defendenda est præfens Urbani decisio, cujus rationem ut agnoscamus, sciendum est, quemlibet habentem legitimam ætatem, sive virum, sive feminam, posse sibi eligere sepulturam, dummodo non prohibeatur à jure; electio enim sepulturæ est pars ultima voluntatis, *cap. contra 13. quest. 2. cap. cum liberum, hoc tit. unde filiusfamilias, si pubes est, potest sibi eligere sepulturam, cap. licet, hoc tit. in 6. & servus similiter potest eam eligere; quia quoad sepulturam personam habet, & non attenditur dominica potestas, l. 2. l. 4. ff. de religiosis.* Unde intelligitur textus in *l. 3. §. si servus, ff. de sepulchro violat. juncto Narbona anno 14. quest. 47. Jul. Lavor. dict. tit. 2. cap. 11. n. 146.* Sed an possit talis electio relinqui in alterius arbitrium, controversum est? Negant committi posse Geminianus in *cap. is qui, §. mulier. num. 6. hoc titulo, lib. 6. Jul. Lavor. dict. cap. 11. num. 6.* moti ex eo, quod mandatum morte finitur, *cap. gratum, cap. velatum, ubi prob. vi, de offic. deleg.* Ergo post mortem mandantis illud exequi non potest. Sed rectius affirmant Gutierrez de *jur. am. part. 2. cap. 4. Carpio de execut. lib. 2. cap. 24. Murga tom. 1. disquisit. mor. tract. 4. disquisit. 9. §. 10.* Quorum opinio suadetur ex *l. 38. Tauri, l. 17. tit. 4. lib. 5. recopil.* Nec fundamentum contrariæ sententiæ obstat; nam cum mandatum hoc circa sepulturam conferatur post mortem mandantis, non finitur, *l. final. ff. de solut. textus ab specie in l. 14. ff. de relig.* unde tam in testamento, quam inter vivos utiliter electio sepulturæ alterius arbitrio committitur. Deinde sciendum est, mulierem nuptam posse facere testamentum, & utiliter de omnibus rebus suis disponere, *l. si mater 33. de vulgari, l. 3. Cod. de inoffic.* Immo licet jure civili uxor ducta per coemptionem efficeretur filiafamilias, in maritque sacra transiret; nihilominus testamentum facere poterat. Ulpianus in *fragmentis, titul. 20. §. penult. Oswaldus libro 6. Donelli, cap. 5. litera B. D. Josephus de Retes lib. 1. opuscul. cap. 22.* Unde tot fragmenta testamentorum matrumfamilias in Pandectarum libris reperiuntur; jure tamen vniuersissimo mulieres jus testamenti faciendi non habuisse, ex Gellio probare intendit Wilemb. *disput. 17. num. 16.*

Unde jam apparet vera decidendi ratio præfens textus; nam cum electio sepulturæ inter ultimas voluntates connumeretur, ex adductis per DD. in *cap. ultim. 13. quest. 2. Joanne Andrea in cap. 1. num. 3. hoc titul. lib. 6. Julio Lavoro dict. cap. 11. & mulier etiam constante matrimonio possit condere testamentum, & quoad ultimam dispositionem pro patrefamilias habeatur; inde sicut maritus potest relicto sepulchro majorum sibi eligere sepulturam, ita & uxor relicta mariti sepulturam potest sibi aliam eligere. Accedit ratio ab Urbano in præfenti adducta illis verbis: *Cum electio ista ad eum potius statum pertineat, in quo mulier soluitur à lege viri.* Licet enim mulier constante matrimonio non possit de rebus propriis disponere, tamen sepulturam eligere valet; quia effectus talis dispositionis conferatur eo in tempore, quo soluta est à lege viri. In his enim casibus, in quibus attenditur effectus, paria sunt aliquid disponere tempore habili, vel tempore inhabili, dummodo effectus conferatur in tempus habile, *l. quod sponsa, Cod. de donat. ante nupt. l. in tempus, ff. de hered. instit.* Quæ ratio mirè confirmari valet ex eo, nam licet constante matrimonio uxor viro, vel vir uxori donare sibi invicem non possint, ex *l. 1. cum vulgari, ff. de donat. inter. l. mortis 53. ff. de donat. causa mort.* donare tamen sibi possunt in casum exilii, seu deportationis, *l. sed si mors 13. l. inter 43. ff. de donat. inter: in casum divortii, l. sed interim, §. final. cum duabus legibus sequentibus. l. Viricus 41. ff. de donat. inter.* Rationem reddit Consultus in *l. quia, ff. eodem titul.* his verbis: *Quia donationis eventus excurret in id tempus, quo vir & uxor desinunt.* Quam explicat Gentilis *lib. 2. de donat. cap. 33.* Non ergo mirum est, ut sepulturæ electio ab uxore facta subsistat, cum ejus effectus conferatur id in tempus, quo vir, & uxor desinunt esse. Accedit etiam, nam Romani cohabitationis conjugalibus observatores agnoverunt, uxores posse in propriis sepulchris, & diversis à maritorum sepulchris tumulari, ut constat ex *l. alumna, §. ab heredibus, ff. de adimend. legat.* & aliis juris locis, in quibus mentio fit sepulchrorum ab heredibus uxorum constructorum.*

Nec obstat dubitandi ratio supra expensa; nam omnia, quæ in ea afferrebamus, procedunt, & loquuntur cum habent constante matrimonio in vita ipsorum conjugum: at verò in præfenti deciditur casus, in quo jam solutum est matrimonium per mortem, & ita cohabitationis obligatio cessavit. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis; nam ut supra dixi, in *capite cum esses, de testam.* aliquando actus prohibetur tantum inspecto ejus effectui, aliquando etiam attenditur tempus, in quo dispositio fit, ut in casu libertatis à minore præstita, in quo attenditur tempus, quo relinquuntur; & ideo inutiliter datur à minore. Idemque procedit in religioso eligente sepulturam; nam cum ipse testamentum facere non possit ex defectu bonorum, & voluntatis, ut probavi in *capite 2. de testam.* ideo non habet quod conferat post tempus mortis, & per consequens nec potest eligere sepulturam, nisi valde remotus sit à proprio monasterio, nam tunc eam eligere valet, *capite final. hoc titul. in 6. Tamburinus de jure Abbatiss. disput. 34. quest. 1. Diana parti,*



p. 5. tract. 3. resol. 110. Barbosa de jure Eccles. lib. 1. cap. 43. num. 89. Chopinus lib. 2. monastic. tit. 3. num. final.

7. Sed superioris assertioni obstat textus in cap. unaqueque 13. quest. 2. in illis verbis: *Unaqueque mulier sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte.* Ex quibus expressè deducitur uxorem sepeliendam esse necessariò in sepulchro mariti: siquidem docet D. Augustinus in vita, & in morte uxorem sequi debere maritum suum. Glossa ibi, verbo *in morte*, accipit textum illum de consilio, ita ut mulier debeat sepeliri in sepulchro viri sui, juxta antiquorum facta, & exempla; siquidem ut suprà retuli de Hebræis, semper uxores cum viris suis sepeliebantur: quod & apud Gentiles usitatum fuisse, constat ex traditis ab Strabone lib. 15. Valerio Maximo lib. 2. cap. 1. Philone Judæo in lib. de Abrahamo, Eusebio de preparat. Evangel. lib. 6. & apud Indos consuetudo est, ut vidua viva simul cum marito in rogam injiciatur; & cum plures uxores sunt, in certamen veniunt, & quæ victrix evadit, leta cum viro in rogam mittitur. Propertius lib. 3. eleg. 13.

*Felix Eois lex funeris una maritis,  
Quos aurora suis rubra colorat equis.*

*Namque mortifero facta est fax ultima lecto,*

*Uxorum fufus stat pia turba comis.  
Et certamen habent leti, quæ viva sequatur  
Conjugium, pudor est non licuisse mori.  
Ardem victrices, & flamma pectora præbent,  
Imponuntque suis ora perusta viris.*

Illustrat Joan. Andreas quest. 6. 10. de sepulturis. De Thracibus idem refert Bernegerus quest. 141. ad Tacitum. Verùm etsi hæc solutio sustineri possit, non incongruè dici potest, D. Augustinum accipiendum esse eo casu, in quo uxor sepulturam non electa decessit; nam tunc æquum est, ut in sepulchro viri sui sepeliatur; & si plures maritos habuit, in sepulchro ultimi, cujus domicilium, & honorem retinet, est tumulanda, cap. is qui, §. mulier, hoc tit. in 6. docent Didacus Perez in l. 1. tit. 3. libro 1. ordin. Gamma de cision. 105. Jul. Lavorus dict. cap. 11. num. 134. quomodo etiam accipiendus est textus in cap. Ebron. in fine 13. quest. 2. in illis verbis: *Quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulchrum, quia una caro sunt; & quos Deus conjunxit, homo non separat.* Si verò mulier electa sepulturam decedat, tunc ejus ultima voluntas adimplenda est; quo casu procedit præsens textus,

## §.

Utrum autem pater, quò magis voluerit, minores filios valeat sepelire, non invenimus à Sanctis Patribus diffinitum, & propterea terræ consuetudini decernimus relinquendum.

## COMMENTARIUM.

8. Cum sepultura electio sit pars ultimæ voluntatis, ut colligitur ex cap. placuit 7. 13. quest. 2. & docent Medicis de sepulturis quest. 8. n. 2. Narbona de ætate ad actus humanos, anno 14. quest. 47. inde provenit, quod sicut qui testamentum facit, debet esse pubes, l. quæ ætate §. ff. qui testamta; ita & qui sepulturam eligere vult, cap. licet, de sepulturis in 6. docent plures congesti à Narbona dict. quest. 47. Barbosa lib. 2. juris Eccles. cap. 10. num. 19. & lib. 1. de officio Parochi, cap. 26. num. 19. Diana §. p. tract. 3. resol. 107. & 108. Murga tom. 1. tract. 4. disquisit. 8. §. 11. Nec interest, an talis pubes sit in potestate patris, vel extra; quia quoad sepulturam electionem non attenditur patria potestas. Tum quia conferitur hæc dispositio in tempus, in quo filius solutus est à patria potestate, ut de uxore

proximè dicebamus. Tum quia quoad spiritualia patria potestas non inspiciatur, cap. final. de iudiciis, lib. 6. Si autem filius pubes decedat non electa sepultura, & majorum sepulchra non sint, debet sepeliri in propria parochia, cap. is qui, hoc tit. in 6. Quærunt tamen Doctores, si pater, & avus sepulti sint in una Ecclesia, alii verò majores in alia, ubi sepeliendus sit filius? Et doctè probat Oswaldus consil. 25. quem transcribit Jul. Lavorus dict. tit. 2. cap. 11. n. 114. in sepulchro patris esse sepeliendum; si autem filius habeat patrem, & matrem diversa sepulchra habentes, filius sepelitur in sepulchro matris; cujus conditionem, non verò patris sequitur, cap. final. de filiis presbyr. cap. licet, de conjug. leprosi. quæ omnia procedunt, nisi aliter consuetudine introductum sit, videlicet ut pater pro filio sepulturam eligat, ut in præsentis §. docetur.

## CAPUT VIII.

Idem (a) Preposito, & Canonicis Farventinis.

Cum super quodam capitulo, quod religionis (b) favore, &c. Inde siquidem est, quod præsentium auctoritate statuimus, ut si aliquem parochianorum vestrorum alibi contigerit eligere sepulturam, secundum statuta Beati Gregorii, quarta vobis in testamentis portio reservetur.

## NOTÆ.

(a) **P** *Reposiro.* ] Textus iste in hac sexta collectione, & in 1. sub hoc tit. cap. 8. tribuitur Lucio III. sed male, cum ejus auctor sit Urbanus III. qui post Lucium Ecclesiam rexit ex anno 1185, usque ad annum 1187. quod facile suadetur ex eo, quod post Concilium Lateran. p. ult. cap. 64. præfens textus refertur sub hac inscriptione, *Idem*, cum textus præcedens sit Urbani III. Expressius id probatur ex cap. *certificari*, sequenti: ubi dum Clemens III. asserit, portionem canonicam aliquando tertiam, aliquando quartam fuisse taxatam, respiciens ad hunc textum ait: Urbanum quartam partem esse asseruisse; unde deducit Innocentius Cironius in *parat. ad hunc titulum*, auctorem hujus textus esse Urbanum III. De canonicis autem, & Ecclesia Faventina nonnulla adduxi in cap. 11. de *renunc.*

(b) *Religionis favore.* ] Alexander enim III. anno 1168. monasterium Sanctæ Reparate, Ordinis Vallis Umbrosæ, civitatis Faventinæ, sub protectione Sedis Apostolicæ recepit, & inter alia privilegia quæ illi concessit, & refert Ughellius tom. 1. Italia, fol. 521. circa sepulturam à monachis concedendam ita cavuit: *Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni, & extreme voluntati, qui se illic sepelire deliberaverint, nisi excommunicati, vel interdicti sint, nullus obstat, salva justitiâ matricis Ecclesiæ.* Unde credo, Urbanum in præfenti agere de prædictis monachis Sanctæ Reparatæ, & de privilegio religionis favore illis concessio ab Alexandro III.

## COMMENTARIUM.

**C**ommuniter ex hoc textu sequens deducitur assertio: *Si parochianus extra propriam Ecclesiam eligat sepulturam, debetur portio quarta proprie parochiæ de relictis Ecclesiæ ubi sepelitur.* Probant eam textus in cap. 1. & 2. cap. *certificari*, cap. in *nostra*, hoc tit. cap. de *quarta*, de *prescriptione*, cap. *officii*, cap. *requisiti*, cap. *final. de testam.* cap. ex parte 13. de *V. S.* cap. *cum quis*, hoc tit. in 6. *Clement. dudum*, §. *verum*, hoc tit. *extravag. inter cunctas*, de *privilegiis*, inter communes *extravag.* 1. §. 4. de *sepultur.* Concil. *Anahemense Angliæ*, temporibus Joannis Pap. XVII. & Henrici secundi celebratum, can. 14. ibi: *Et si corpus aliquod extra suam parochiam quis posuerit, solvat nihilominus pecuniam (quod symbolum anime dicitur) illi Ecclesiæ, cui corpus famulabatur vivens, & omnia, quæ Dei sunt, vel ad ipsam pertinent, accuratius, uti par est, pacem habeant.* Trident. sess. 25. de *reform.* cap. 13. Illustrant Petrus de Ubaldis in tract. de *quarta*, Jul. Lavorus tit. 2. *Lucubr.* cap. 17. plures congesti à Barbofa in *presenti*, & de *offic. Parochi* 3. p. cap. 25. & lib. 3. *juris Eccles.* cap. 24. Balilius de *matrim.* lib. 5. cap. 13. Petrus Gregorius lib. 1. *parit. titul.* 15. cap. 4. & in cap. *conquerente*, cap. 16. num. 5. Gutierrez lib. 7. de *juram.* cap. 4. num. 1. Tondutus *resol. canon.* cap. 105. Vighel. in *method. jur. can.* fol. 451. Trullench. de *offic. Paroc.* cap. 13. Lemaitre de *juribus Episcoporum* lib. 2. capite *final.* Solorzanus de *jure Indiar.* libro 3. cap. 22. Sed tradita assertio non leves patitur dubi-

tandi rationes. Prima enim insurgit adversus eam dictionem, *quartam*, junctis illis verbis, *sui iudicii*; in quibus probari videtur, quartam parochialem deducendam esse ex omnibus rebus relictis iudicio testatoris; nam patribusfamilias à jure plenissima libertas concessa est disponendi de rebus suis, quo modo, & inter quos velint, quartam tantum Falcidiæ hæredi reservatâ, l. 1. ff. ad leg. *Falcid.* l. *verbis legis*, ff. de *V. S.* ergo non debet contra ejus voluntatem alia quarta præstari parochi ex rebus relictis iudicio ejus. Augetur primò hæc difficultas, nam si præfentem decisionem accipiamus tantum de legatis piis relictis pro anima testatoris, in majorem incidimus difficultatem; nam legata pia, & pietatis causâ relictâ, nullam patiuntur diminutionem, nec quidem Falcidiæ, *Novell.* 131. *Justin.* cap. 12. ubi Ritherusius, & Baldinus, Tiraquel. de *privileg. pie cause.* cap. 22. Antonius Gomez lib. 2. *var. cap.* 4. num. 17. Molina de *Justitiâ tract.* 2. *disput.* 213. Ergo si Falcidia non habet locum in legatis relictis pietatis causâ, multò minùs alia quarta deduci poterit. Augetur secundo hæc difficultas ex eo, nam si aliqua quarta funeralis deducenda est ex legatis piis à defuncto relictis, non à Parocho, sed potius ab Episcopo relictis debet, juxta textum in cap. *conquerente de offic. ordin.* cap. de *quarta*, de *prescript.* cap. *placuit*, cum sequent. 10. *quæst.* 3. cap. *requisiti*, de *testam.* ubi Covar. cap. *quoniam*, de *decimis*, cap. *olim*, de *cessibus*; vel potius Ecclesiæ, ubi majorum sepulchra erant, præstari debebat, cum in ea tumulandus esset defunctus, juxta tradita supra in cap. 1. & ita illi quodammodo irrogatur injuria, *Clement.* 2. hoc tit. Ergo non rectè in præfenti docetur, parochi quartam deberi. Augetur tandem hæc difficultas ex eo, quia si certa portio bonorum ex quolibet defuncto parochi præstetur, suscitabitur avaritia Gentilium, qui defunctis vestigal imponerent, l. *final. Cod. de religiosis*, Xiphilinus in *Nerone*, observavit Cujacius lib. 11. *observ.* cap. 21. ne ergo cum Gentilibus in hac parte conveniamus, dicendum est, funeris occasione nihil pretio æstimabile Parocho præstandum esse.

Quæ dubitandi ratione ita fuscitâ minime obstante, vera est præfens assertio, pro cuius expositione sciendum est, canonicam portionem esse certam quantitatem, quæ Episcopo, vel Parocho ratione funeris præstatur; quæ ita appellatur, quia à sacris canonibus inducta est, ex rationibus infra adducendis. De canonica portione parochi debita, ex legatis, & aliis obventionibus ratione funeris, Ecclesiæ illi, in qua defunctus sepelitur, agendum est (nam de canonica portione Episcopo debita jam egi in cap. *finali*, de *testam.*) Et ut clariùs procedamus, singillatim examinandum est, quæ portio ex prædictis obventionibus deducatur; cui, & à quibus, & ex quibus rebus præstetur. Quoad primam partem hæc portio pro distinctione temporum, & locorum varietate diversâ fuit, Leo III. in cap. 1. hoc tit. tertiam partem esse decrevit; ipse Pontifex quasi mutato consilio in cap. 2. hoc titulo, dimidiam partem præstari iussit. Urbanus III. in præfenti quartam partem deducendam esse statuit, cuius sententia approbata fuit in *Clement. dudum*, hoc titulo. Innocentius III. infra, in cap. in *nostra*, tertiam partem parochi

cho assignavit: & quia hæc portio taxata est lege positivâ, ideo contrariâ consuetudine introduci potest, ut major, seu minor portio parochio præstetur, *cap. certificarî, hoc rit. cap. anti-quos 19. quest. 1.* immo & in totum tolli, si consuetudo legitime præscripta sit, ut docent Lavotus, Barbosa, & Trullench. *ubi supra.* Igitur in hac parte consuetudo attendenda est, illique standum; & si Ecclesiæ propriæ certa consuetudo non sit, quod in Metropolitana Ecclesia observatur, attendi debet, *capite tua, de sponsa duorum:* & si adhuc non apparent, vicinarum Ecclesiarum consuetudo spectanda est, *cap. super eo, de censibus:* & si variæ consuetudines sint, quarta præstabitur, nisi aliud lege diocesana cautum sit, quod principaliter attendi debet.

6. Deinde sciendum est, hæc portionem canonicam deberi Ecclesiæ parochiali, seu Parocho, à quo defunctus sacramenta recipiebat, & ubi divina officia audiebat, *cap. 1. hoc rit. cap. is cum quo, eod. rit. in 6.* non quia ab ea sepulturam dimittit, & in alia elegit: sed in compensationem laboris, quem sustinet Parochus in administratione Sacramentorum; & ideo si quis decesserit à propria parochia animo redeundi, tantum recreationis; vel fructuum colligendorum causâ, & sibi decedat, quarta Ecclesiæ parochiali præstatur, *cap. 3. hoc rit. in 6. Basilii de marit. lib. 5. §. 13. num. 2.* Idem procedit si ægrotus de propria parochia in aliam, veluti in domum consanguinei, seu amici, se deferri faciat. Barbosa *ubi supra.* Aliquando tamen hæc portio non præstatur Parocho, veluti si Ecclesia parochialis alibi eligat sepulturam, vel si Ecclesia Cathedralis præscriptione, aut alio modo jus habet quantum reuendendi prædictam portionem, vel quia tempore, quo Ecclesia parochialis erecta fuit, hoc jus sibi reservavit; in his enim casibus Parochus non habet jus petendi hæc portionem; illis autem exceptis, potest petere hæc quartam, vel conditione ex canone, vel actione ex testamento, ut post Jul. Lavorum docent Trullench, & Barbosa *ubi supra.* Deinde sciendum est, prædictam canonicam portionem deberi ab Ecclesia illa, ubi quis relictæ propriæ parochiæ sepelitur, siue sit regularis, siue exempta, siue non exempta, *Clement. dudum, §. verum, hoc titulo. Trident. dist. cap. 13. Barbosa ubi supra, num. 10. Trullench. dist. capite 13. dub. 3.* quæ doctrina limitatur, nisi clerici, aut monachi, apud quos quis sepelitur, præscriptione exempti sint à solutione hujus portionis. Potest enim hæc liberatio præscribi 30. vel 40. annis cum titulo, vel immemoriali tempore sine eo, ut pluribus relatis docet Barbosa *ubi supra, num. 16.* vel si Regulares, ubi sepultura electa fuit, privilegium habeant non solvendi dictam portionem; dum tamen in ipso privilegio expressè derogetur, *dist. Clement. dudum;* alias privilegium nullius est momenti. Similiter si monasteria erecta per 40. annos ante Concilium Tridentinum solvebant eam portionem, & postea privilegium exemptionis impetrarunt; tale enim privilegium nullius est momenti, ut decilum extat *in dist. cap. 13. Concilii Trident.* & variis Rotæ decisionibus firmat Barbosa *ubi supra, num. 12. & 14.* Nec etiam privilegium concessum uni Religioni, alteri prodest, aut communicatur, ut docent Barbosa *num. 9.* Trul-

lench. *dist. dub. 13.* Tandem sciendum est, hæc canonicam portionem esse deducendam ex omnibus illis rebus, quæ obveniunt Ecclesiæ ratione funeris, seu de omnibus oblationibus, quæ offeruntur in die sepulture, ut declaravit Pius V. in constitutione quæ incipit *Esse mendicantium.* Item ex omnibus legatis piis ipsi Ecclesiæ relictis, *cap. 1. cap. in nostra, hoc titulo.* Debetur similiter de cereis, & candelis, quæ circa corpus deferuntur; de Missis in testamento assignatis, de armis, palliis, & aliis ornamentis, quæ in feretro deferuntur: tandem de omnibus funeralibus, quæ in prima, septima, nona, aut trigesima die ad Ecclesiam sepulture occasione deferuntur, quæ nos vulgò dicimus *offrendas,* ut latius prosequuntur Trullench, & Barbosa *ubi supra.*

Quibus ita animadversis ratio præsentis assertionis, seu quare hæc canonica portio Parocho præstatur, ex eo provenit, quia qui fuerunt socii passionum, debent esse & consolationum, juxta Apostolum 2. ad Corinthios, *cap. 1.* Sed Parochus sustinet onus celebrandi divina officia, & administrandi sacramenta propriis parochianis, dum vivunt, *cap. 2. de parochiis;* unde justum est, ut Parochus per electionem sepulture in alia Ecclesia debitis non fraudetur obsequiis; cum ille qui altari servit, de altari vivere debet, *cap. cum secundum, de præbend.* Rectè ergo ab Ecclesiæ Patribus statutum fuit, ut de legatis relictis Ecclesiis, ubi parochiani sepeliuntur, certa portio Parocho præstetur. Fulcitur hæc decidendi ratio ex eo, nam si filius patri, & libertus patrono tenentur aliquam portionem bonorum illis relinquere in recognitionem obsequii, *l. nam est, ff. de inoffic. princip. Inst. de success. libert. parochiani etiam, qui filii dicuntur sacerdotum, à quibus sacramenta accipiunt, cap. 9. cum duabus sequent. 30. quest. 1.* debent altem ex illis bonis, quæ pro salute animarum suarum relinquunt, aliquam portionem illis præstare, videlicet quartam, quæ portio in aliis testamentariis dispositionibus semper taxata fuit, ut in legitima filio relinquenda, *l. Papinianus, §. de quarta, ff. de inoffic. in portione ex legatis pro hærede deducenda, l. 1. ff. ad leg. Falcid. in portione ex fideicommissis detrahenda, l. 1. ff. ad Trebel. in portione filio adrogato à patre præstanda, l. finali, ff. si quid in fraudem patrum;* de quibus agit Wilembach. *disputat. 24. in quadriga quar-tarum.* Rectè ergo Urbanus III. in præsentî portionem illam parocho præstandam ex relictis à defuncto pro salute animæ suæ, quartam partem præscripsit.

Nec obstant difficultates supra pro dubitandi ratione adductæ. Non prima, nam licet verum sit, testatorem posse pro libito disponere de omnibus rebus suis, tamen portio canonica, quæ parocho præstatur, non impedit hæc liberam dispositionem; quia non ex omnibus legatis à testatore relictis detrahitur, sed tantum ex relictis occasione sepulture; & licet legata pia non patiantur deductionem legis Falcidiæ, id procedit ob specialem pietatis rationem, quæ non militat in hac deductione portionis canonice, quæ æqualiter pia est. Nec obstat secunda difficultas deducta ex *dist. cap. de quarta, cap. conquerente,* ubi portio hæc spectat ad Episcopum. Nam omnia solutione Beroni *in cap. Raynucius, num. 165. de testam.* qui existimat prædicta jura procedere quando Episcopus præscripsit quartam



omnia, quæ funeris causâ relicta fuerunt, Ecclesie, ubi cadaver sepultum fuit, præstantur: ergo quia nulla portio ex relictis sepulture causâ parochio debetur. Cui difficultati, omisâ glossâ in præfenti, dicendum est textum illum procedere eo casu, quo testator in ultima voluntate apud aliam Ecclesiam dimissâ parochiali, ex devotione iussit se sepeliri, & clerici parochialis Ecclesie corpus ipsius violenter rapuerunt, & in sua sepelierunt Ecclesiam; quo casu coguntur cadaver, & omnia sepulture causâ ab eis occupata integrè restituere Ecclesie, ubi testator elegit sepulturam: nec eo casu deducere pos-

sunt canonicam portionem, quam amiserunt propter violentiam circa ipsam sepulturam commissam, argumento textus in cap. eum qui, de præbend. lib. 6. l. extar. ff. de eo quod metus, l. licitatio, §. quod illicitè, ff. de publicanis: nam qui irruendo aliquid occupat, etiam si ipse sit, causæ suæ patitur jacturam, cap. placuit 16. q. 6. & illud quod quis habet, amittit, si improbâ temeritate assumit, cap. sic docet 25. q. 2. Cùm ergo in ejus textus specie clerici violenter corpus illud rapuerint, ut in eo, in quo peccarunt, puniantur, jubentur illud restituere cum omnibus rebus occasione funeris acquisitis.

## CAPUT IX.

## (a) Clemens III.

Certificari voluisti à nobis, quomodo illa clausula, quæ in privilegiis nostris apponi de salva justitia solet illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur, intelligi debeat, & exponi. Cùm autem super hoc articulo diversa antecessorum nostrorum manaverint instituta, (b) Leone justitiam illam aliquando (c) tertiam partem, quandoque verò (d) mediam partem; & (e) Urbano III. quartam fore censente: nostale præbemus in hac varietate responsum, ut, sicut Hieronymus inquit, unaquæque provincia in suo sensu abundet, secundùm rationabilem consuetudinem regionis, illa justitia circa medietatem, vel tertiam, aut quartam partem pro locorum diversitatibus attendatur.

## NOTÆ.

(a) *Clement. III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 3. nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex.

(b) *Leone.*] In cap. 1. hoc titulo.

(c) *Tertiam.*] In cap. in nostras, hoc tit.

(d) *Mediam.*] In cap. 2. hoc tit.

(e) *Urbanus.*] Relatus in cap. antecedenti, ubi numero ultimo textum hunc exposui.

## CAPUT X.

Innocent. III. (a) *Episcopo Claremont. & Abbati* (b) *Maurien.*

In nostra præsentia constitutis dil. fil. Priore Ecclesie (c) Montis-Ferrandi, & B. procuratore Hospitaliariorum Claremont. dicec. ven. f. n. Sabinen. Episcopum concessimus auditorem, coram quo idem Prior proposuit, quod prædicti Hospitalarii parochianos suos admittunt ad Ecclesiastica Sacramenta; & tam (d) excommunicatos, quàm interdictos, & quosdam alios, videlicet W. de Maceris, & filium I. de Ventador infra annos legitimos (e) constitutos, receperunt ad ecclesiasticam sepulturam, propterea Ecclesia eadem damnum sustinuit plusquam V. millium solidorum: quare idem Prior humiliter supplicavit, ut ipsis Hospitalariis interdiceremus, ne de cætero talia in ejus præjudicium attentarent, & ad resarcienda damna, quæ exinde sustinuit, eos compellere dignaremur. Econtra prædictus proposuit procurator, quod tam ex privilegio, quàm ex indulgentia speciali, licet Hospitalariis omnes passim, præter excommunicatos, & interdictos, ad ecclesiasticam recipere sepulturam, qui apud illos elegerint sepeliri: fidei quoque commissa ultimâ voluntate relicta possunt licenter accipere, solutâ tantummodo quartâ parochiali Ecclesie, de cujus parochia mortuorum corpora assumuntur, præterquam de equis, & armis, quæ indulta sunt ipsis in subsidium Terræ sanctæ, de quibus quartam deducere non tenentur. Cùm igitur hæc, & alia, quæ coram ipso fuere proposita, idem nobis fideliter reulisset, auditis & intellectis attestacionibus, & allegationibus universis, de consilio fratrum nostrorum talem duximus sententiam proferendam, quod prædicti Hospitalarii de cætero non recipiant parochianos Ecclesie suprascriptæ ad ecclesiasticam sepulturam, nisi apud eos elegerint sepeliri; & tunc parochialis Ecclesia de oblationibus, lectis, & aliis, quæ defunctus pro anima sua in ultima dispositione reliquit, præterquam de equis,

equis, & armis, recipiat quartam partem, Hospitalarii residuum habeant, nisi dolo, vel fraude eorum defunctus inductus fuerit ad dispositionem huiusmodi faciendam: nihilominus ipsi Hospitalarii injungentes, ut de quarta parte quinque millium solidorum Priori satisfaciant memorato, cum constet à parochianis Prioris illos solidos recepisse, nec sit sufficienter ostensum, quod eorum oblato, vel (f) commissi fuissent eidem. Præterea duximus injungendum, quod nisi probaverint, quod W. Gauksfall, qui fuit interfectus in campis, apud ipsos elegerit sepulturam, universa, quæ ipsius intuitu receperunt, Priori restituant memorato, alioquin quartam partem solummodo restituere teneantur. Pro filio verò W. de Macerius, & filio W. de Ventador, quos constat infra annos legitimos decepsisse, eidem injunximus, ut quæ sepulturæ eorum gratiâ receperunt, restituant universa.

## NOTÆ.

1. (a) **Claromont.** ] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 1. Claromontensis Ecclesia Gallie suffraganea est Archiepiscopi Turonensis in Aquitania: prima inter perantiquas Gallie civitates recensetur à Ptolomeo lib. 2. cap. 7. Cæsar. lib. 7. de bello Gallico, cap. 7. quos & alios referunt Fratres Sarmathani tom. 2. Gallia Christi. fol. 520. Habet Ecclesiam Cathedralem dicatam Deiparæ Virgini, cujus historiam & Præfulum seriem referunt Chenu in Chron. Gallie, Fratres Sarmathani ubi proxime. Eius Præfuli Roberto missa est præiens Decretalis, qui à fratre Comite Arvernæ detrusus fuit in carcerem, ut constat ex Innocentio III. libro 1. epistol. quod referunt Fratres Sarmathani ubi supra.
2. (b) **Maurien.** ] Quod monasterium est Ordinis D. Benedicti in ipsa diocesi Claromont. jacet in solo amœnissimo juxta Ricomagum extructum à Calminio Senatore Romano, cujus meminerunt sub nomine Musiacensis, seu Maufacensis, Gregorius Turon. lib. 4. de gloria Confess. Joannes Sabaro, quem referunt Fratres Sarmathani tom. 4. Gallie, fol. 630. qui referunt

ejus historiam, & chartam fundationis ipsius.

(c) **Ferrandi.** ] Castrum est proximum Claromonti, de quo Sugerius in vita Ludovici Grassi, qui Claromontem pervenit: Cum autem aborivo & opposito civitati casus Montis Ferrandi exercitum applicaret.

(d) **Excommunicatos.** ] De quibus in Ecclesia non sepeliendis dicemus infra in cap. sacris.

(e) **Infra annos legitimos.** ] Id est quatuordecim: ætas enim quatuordecim annorum legitima appellatur, l. cum filio 50. §. ult. ff. de legat. 3. §. final. Instit. de Attuliano tutore, l. 1. C. si mater indemni. licet non me lateat pro subiecta materia aliquando legitimam ætatem dici ætatem 25. annorum, l. quæro 32. §. final. de testamentaria tutel. l. Paulus, §. Gaius, ff. de liberat. legat. l. 1. tutel. ff. de fidejuss. tut. l. ex duobus 27. ff. de negotiis gestis, cep. in veteris. 77. dist. notant plures congesti à Nardona de ætate, anno 25. q. 2. Sed cum in præsentia agatur de sepultura, & quoad ejus electionem annus decimus quartus sufficiat, cap. licet, hoc tit. in 6. ideo annos legitimos exponimus, id est 14.

(f) **Oblati, vel commissi.** ] Legendum exitimo conversi; qui autem dicantur oblato, & conversi, exposui in cap. in præsentia, de prebat.

## CAPUT XI.

## Idem Archiepiscopo (a) Turon.

**EX** parte parentum Nuethæ quondam juvenculæ nostris est auribus intimatum, quod cum in crepusculo noctis nobilis vir N. dominus de Insula Bucardi, Turon. dicec. eidem juvenculæ posuisset insidias, volens eam opprimere, quam sollicitaverat sæpe de stupro, & ipsa (b) garcionibus, qui eam rapere nitebantur, super quandam pontem occurreret, tandem ipsa fugiens manus illorum, in amnem de ponte cecidit, & fuit casu submersa. Ipsa verò extractâ de amne, dubitaverunt Capellani ejusdem loci corpus tradere sepulturæ; & tu etiam requisitus duxisti super hoc responsum Apostolicum requirendum. Quocirca fraternitati tuæ per A. f. m. quat. cum illa juvencula non sponte præcipiaverit se de ponte, sed fugiens manus illorum, qui eam, sicut superius est expressum, rapere nitebantur, casu cecidit, corpus ejustradi facias ecclesiasticæ sepulturæ, præsertim cum ex honesta causa fugisse noscatur, & cui (c) communicabatur viventi, communicandum sit jam defunctæ.

## NOTÆ.

1. (a) **Turon.** ] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 2. De Metropoli Turon. nonnulla notavi in cap. 5. de temporibus ordin.
- (b) **Garcionibus.** ] Garcio idem est ac puer inferviens: Petrus Blefenis epist. 102. ibi: Interim ex-

erunt de domibus hospitum garciones cibariis omisi, & ebrii, ut de superfluitate illorum pauperibus ingeratur cumulator doloris, & tormenti materia. Guillelmus Brito lib. 19. ibi:

Hanc præcedebat cum palma garcio.

Et lib. 11.

Circuit, atque alias se garcio vertit ad arce. Expo.

Exponunt Vossius de vitis serm. cap. 1. Meursius in Glossario, verbo Garcia, Zetda in aduers. cap. 73. n. 24. Liptius centur. 2. epist. 44. ad Belgas. Hinc apud nos Garciones dicuntur Iuvenes non bene educati. Dorceans in notis ad Tacitum, lib. 2. fol. 193. existimavit Innocentium in præsentis Garciones posuisse pro euerforibus, dum ait: *Dicimus etiam Garçon pro Warçon, ab evertendo: nam iuuentus, que nobilitate uiget, omnia evertit.*

(c) Communicabatur. ] Ut sequenti commentario dicemus.

## COMMENTARIUM.

<sup>2</sup> **E**X hac Innocentii epistola sequens deducitur assertio: *Qui non sponte, sed casu in flumen immersus occubuit, privari non debet ecclesiastica sepultura.* Probat eam textus in cap. plaouit 23. q. 5. Concilium Altiissiod. can. 17. ibi: *Quicumque se propria voluntate in aquam iactauerit, aut collo ligato se suspendiderit, aut de arbore precipitauerit, aut ferro percusserit, aut qualibet occasione uoluntariè se morti tradiderit, istorum oblata non recipiantur.* Nicolaus Pontifex ad consult. Bulgaror. cap. 98. ibi: *Si sit sepeliendus, qui seipsum occidit, vel se sit pro eo sacrificium offerendum, requiritur? Sepeliendus est quidem, ne uiventium odoratus molestiam ingerat: non tamen est, ut alius pavor incutiatur, solito cum obsequiis more ad sepulchra ferendus. Sed & qui sunt, qui eius sepulture studio humanitatis obsequuntur, sibi, non illi, qui sui exitu homicida, præstare uidentur.* Consonant lex 1. & 2. tit. 7. lex 29. tit. 1. partit. 7. Illustrant ultra congestos à Barbosa in præsentis, & lib. 2. juris eccles. cap. 10. num. 49. & de offic. Parochi, cap. 26. P. Gregorius lib. 36. syntag. cap. 22. & lib. 4. partit. tit. 13. cap. final. Antonius Blascus memorab. cap. 2. Parladorus differens. 16. §. 1. num. 17. Joannes Sanchez in select. disput. 36. num. 2. Æneas Robertus lic. 1. rerum iudic. cap. 12. Diana p. 6. tract. 7. resol. 47. Petrus Herodius lib. 1. Pandect. tit. 12. cap. final. Lara de capel. cap. 11. Spondanus de cæmeter. p. 2. lib. 2. cap. 7. Torreblanca de iure spirit. lib. 13. q. 16. Coqueus & Vives in notis ad D. Augustinum de ciuitate Dei lib. 1. cap. 19. 21. 22. & 25. Grotius de iure belli lib. 2. cap. 19. in notis. Ambian. ad Tertul. cap. 4. ad Martyras, obseru. 2. & de anima fol. 1039. Gutherus de iure manuum lib. 1. cap. 10. Mancinus de triplis iuris collat. lib. 1. cap. 175. Didacus Perez in l. 19. tit. 19. lib. 8. ordin. Caramuel in Theolog. Fundam. fundam. § 5. num. 1633. Joannes Sanchez in select. disput. 36. Murga tom. 2. tract. 1. disput. 8. Martinez à Prado tom. 2. Theolog. Mor. cap. 20. q. 1. Alciatus lib. 4. parerg. cap. 4. Petrus Faber lib. 1. semestr. cap. 10. Gutherus de iure manuum, lib. 1. cap. 10. Guazarinus defens. 39. cap. 2. Basilic. decr. 3. crimin. Fr. Anton. à Matre Dei prelu. 1. in sacram. Scrip. digress. 7. P. Gibalinus tom. 2. de negot. artic. 1. cap. 7. fol. 655. Alteserra hic. Joan. Andreas quæst. de sepul. cap. 3.

<sup>1</sup> Sed in præsentem assertionem ita pro dubio traditur tandi ratione infurgi potest; nam femina, de qua in præsentis, absque fuga, & iactatione in flumen pudicitiam seruare poterat, etiam vim passâ; nec aliquam culpam omnino renuens, & per vim oppressâ contrahebat. cap. presbyteros, 50. dist. cap. in primis, vers. Episcopi, 2. q. 1. cap. finali 11. q. 1. cap. eos, de consecr. dist. 4. Ouidius lib. Fast. ibi:

*Quid facit invito pectore passa Iouem.*

Probat Tiraque. de penis tempor. causa 36. Avendanno de metu lib. 2. cap. 41. num. 29. pudicitia enim cum uirtus sit animi, ex defectu inuoluntario corporis non polluitur, cap. ita ne 32. q. 5. nec uolentia libidinis alienæ aufert sanctitatem propriam, cap. proposito 32. q. 5. Igitur cum femina, de qua in præsentis, etiam oppressâ uideretur à iuvene Iuonensi, adhuc in anima pudicitiam seruare posset, iniuste se morti tradidit, & casui non permisso exposuit, & per consequens tanquam homicida sui ipsius privari debebat ecclesiasticâ sepulturâ. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam etiam ob seruandam castitatem non solum propria perire manu, uerum nec partem corporis mutilare, aut abscindere permittum est, cap. si quis abscidit. 55. dist. cap. significauit, cap. ex parte, de corpore uitæ. Ergo in præsentis casu nec ob seruandam castitatem licebat femina in flumen se iactare, & per consequens tanquam sui homicida privari debebat ecclesiasticâ sepulturâ. Deinde aduersus rationem, quam assignat Innocentius illis uerbis, quibus non communicauimus uiris, &c. obstat; nam furibus, raptoribus, & decedentibus in torneamentis, dum uiuunt, communicamus; & tamen illis defunctis communicare non possumus, cap. 2. de furtis, cap. 1. de raptor. cap. 1. de torneam. Igitur indistinctè uera non est ratio ab Innocentio assignata.

Quâ difficultate ita fulcitâ non obstantè, uerâ est præfens assertio, pro cuius expositione sciendum est, nonnullos existimasse, mortem tædio, qui sibi uel impatienciâ doloris quemlibet sibi inferre posse, ut refert, & disserit nimis Stoicè Liptius lib. 3. manu. ad stoicam disciplinam, dissert. 22. & sequenti. Et primò Stoici existimabant, quod si quis ita morbo afflictaretur, ut vitam sibi æruminosam putaret, uel tædium aliquod uite haberet, posse, immò debere mortem consciscere, Epicetus lib. 1. Arriani, cap. 24. Seneca epist. 98. ibi: *Exerce te, ut mortem & excipias, & si ita res suadebit, accersas, interest nihil, an illa ad nos ueniat, an ad illam nos.* Apud eundem Senecam epist. 77. quidam Stoicus Marcellinum morbo non insanabili correptum admonuit, ut ipse sibi mortem conscisceret. Diogenes Laërtius in Zenone, eam Zenonis sententiâ in fuisse refert, immò & Zenonem ipsum sibi manus intulisse. Lactantius lib. 3. de falsa sapientia, cap. 18.

*Quod nimium laudas, Cheræmon Stoice, mortem,*

*Vis animum miror, suspiciamque tuum.*  
*Hanc sibi uirtutem fractâ facit urgens ansâ,*  
*Et tristis nullo qui tepet igne focus.*  
*Et reges, & cimes, & nudi sponda erabati,*  
*Et breuis, atque eadem nocte, dieque toga.*  
*O quam magnus homo es, qui face rubentis acetæ,*

*Et stipulâ, & nigro pane carere potes!*  
*Lingonicis ægedum rumeat tibi culcita lanis,*  
*Constringatque tuos purpura tæta toros.*  
*Dormiat & tecum, qui cum modo cæcuba miscet;*  
*Coruuius roseo torserat ore puer.*  
*O quam tu cupias ter uerere Nestoris annos,*  
*Et nihil ex ulla perdere luce uoles!*  
*Rebus in angustiis facile est contemnere uitam,*  
*Fortiter ille facit qui miser esse potest.*

Quod Proculeiani admiserunt, ut Neratius eorum schola prodidit in l. liberorum 11. §. 3. ff. de

ff. de his qui notant. infam. ibi: Non solent autem ingeri, ut Neratius ait, hostes, vel perduellionis damnati, nec suspendiosi, nec qui manus sibi intulerunt, non tadio vitæ, sed mala conscientia. Quod Hadrianus, & Antoninus Pius rescriptis confirmarunt, l. 3. §. 4. & 5. ff. de bonis eorum qui ante sent. mort. sibi consciv. l. 6. §. 7. ff. de injust. rupt. irriquoque fact. testam. Quod si quis tadio vitæ, vel valetudinis adversa impatientia, vel jactationis, ut quidam Philosophi, in ea causa sunt, ut testamenta eorum valeant. ubi Ulpianus sanè Stoicos perstringit, qui jactationis causâ mortem accerfebant. Lucianus de peregrino Philosopho. Seu potius Cynicos, eorum auctores, quos Ulpianus Philosophos appellat in l. proponatur 76. ff. de iudiciis, & probat latè Quevedo in suo Epiteto. Et Cynicis interdum nomen Stoicorum datum fuisse tradit Lipsius in manu. ad Stoic. Philosoph. dissert. 13. Et eadem cum Stoicis dogmata habuerunt Cæi etiam, qui quia ob atatem se inutiles esse credebant, coronati cicutam bibebant. Idem Thebani faciebant, ut magnam gloriam assequerentur; unde apud eos nata est paxima: Cur non suspendis te, ut apud Thebanos heros fias. Circumcelliones etiam, qui ut hæretici damnati fuerunt, quia seipsos interimebant, de quibus in cap. quidam 24. q. 3. Eorum etiam errorem tenuit Petilianus, quem D. Augustinus lib. 2. contra Lictas Peril. cap. 49. & lib. 1. de civitate Dei, cap. 17. multis argumentis impugnat, cujus verba referuntur in cap. tu dixisti, cap. si non licet 23. q. 5. Philastrius hæresis 37. Omitto alios privatos, qui tadio vitæ, impatientiâ doloris, aut pro republica, ceu summam lætitiâ habitam protraherent, manus sibi intulerunt, juxta consilium Plauti in Penulo, ibi: Abi domum, & suspende te. M. Quamobrem? A. Quia nunquam audisti verba tot, tam suavia. Ut fecerunt Curtius, teste Valerio lib. 5. cap. 6. Brutus referente Floro lib. 1. cap. 19. duo Decii, D. Augustinus lib. 4. de civitate Dei, cap. 17. & alii quos referunt Strabo lib. 15. Cælius Rhodig. lib. 13. cap. 25. Tiraquellus ad Alex. lib. 2. cap. 25. Ravif. Textorius lib. 2. officinae, cap. 98. Gothofredus in l. 3. §. 4. ff. de bonis eorum. Et de scæviente in seipsum ob gravitatem ærumnatum impiè sensit Plinius lib. 28. cap. 1. ibi: Ex omnibus bonis, quæ homini tribuit natura, nullum melius esse tempestivâ morte; in eoque id optimum, quod illam sibi quisque præstare potest. Et id ex animositate provenire aliqui voluerunt, quos refellunt Mendoza in viridario, problem. 9. Fr. Antonius à Matre Dei ubi supra, & constat ex Aristotele lib. 3. Ethic. cap. 7. Platone in Pedone, Macrobio lib. 1. in somno Scipionis, cap. 13. Sed contrarium rectius senserunt Philosophi, quos refert Theophil. dicto cap. 1. Quia cum nullo jure homines vitæ suæ domini sint, & mors à divina prodeat voluntate, non licet sibi mortem consciscere, & sceleratâ, impiaque manu hoc opus destruere, injuriamque inferre auctori, qui illud suis membris integris plasnavit; nefasque esse existimarunt, ejus injussu de statione hujus vitæ discedere, ac vincula hujus carceris dirumpere. Cicero in somno Scipionis, ibi: Nisi Deus is, cujus hoc templum est omne quod conspicis, istis te corporis custodius liberaverit, in cælum aditus tibi parere non potest. Quare peccat iste contra dominium Dei, qui tantum est dominus vitæ; & contra fortitudinem, & charitatem, ut probant latè Theoph. lib. 3. sect. 3. cap. 1. Giba-

linus dicto tom. 2. lib. 6. cap. 7. artic. 1. Plinius Junior lib. 1. epist. 1. ibi: Luctuosissimum genus mortis, quæ non ex natura, nec fatalis videtur. A quo judicio, aiebat Julianus, timidus est, & ignarus, qui cum non oportet mori, desiderat; & qui refugit, cum sit opportunum; teste Ammiano Marcellino lib. 25. Unde in eos, qui vivere abnuunt, nisi fortuna voluptates inconcussas præstet, invehuntur D. Augustinus lib. 1. de civitate Dei, cap. 17. & 20. Quintil. declamat. 276. Seneca epist. 24. & 58. Tacitus lib. 2. annal. Aristotel. lib. 3. Ethic. cap. 3. Heliodorus lib. 7. histor. Rectè ergo Platoni contra Stoicos docuerunt retinendum esse animum in custodia, nec injussu ejus, à quo datus est, posse dimitti; & juxta hanc sententiam rectè mors dicitur dimissio, & mori dimitti, ut videre est non tantum in cap. 11. D. Luca, vers. 29. sed etiam Genesis 25. vers. 2. juxta Græcorum versionem. Themistius de animo, de Græcis agens inquit: Eum qui moritur, aiam dimitti, & mortem dimissionem vocant. Apud Plutarchum de consolatione, legimus: Donec Deus ipse nos dimittat, Notavit D. Laurent. Ramirez de Prado ad Luitprandum, fol. 295. Hoc tamen: quod dicimus, nemini licere sibi mortem consciscere, procedit nisi omni procul dubietate semotâ, divinus agnoscat impulsus, qui vitam repetat propriâ manu absumendam: quam causam etiam præsumptam excipiebant Hebræi; unde huc referunt Samsonis, & Samuclis exempla. Referenda etiam sunt alia eorum, qui mortem sibi intulerunt, ne religionem catholicam ejurarent; & virginum, ne pudicitiam amitterent, quæ referunt D. Augustinus lib. 1. de civitate Dei, cap. 26. D. Ambrosius lib. 3. de virgin. Procopius lib. 2. de bello Persico, cap. 11. Eusebius lib. 8. cap. 17. Espencus lib. 8. de continentia, cap. 14. Licet id de aliquibus Sanctis viris falsò jactari probent Theophilus Raymond. de calumn. sect. 2. serie 3. cap. 20. Fr. Antonius de Matre Dei dict. prælud. 1. de scient. digesti. 7. sect. 2.

Licet in eos, qui mortem sibi consciscere, & Biothanatos dictos, ut probant Angelus Rocca de juri in scholis ad lib. Sacram. D. Gregorii, Theophilus <sup>fr. juri</sup> <sup>nazarii</sup> dicto cap. 1. videatur nullam penam imponi posse, quippe mortem pro supplicio habent; tamen variis penis utroque jure statutis puniri notum est. Et apud Athenienses manus, quæ hoc peragissent, abscindebatur. Cæli Rhodig. lib. 5. antiquit. cap. 10. Primò sepultura ecclesiastica privantur, ex jurtibus supra adductis. Quintil. declamat. 337. ibi: Aliquis conscientia turpis alieni flagitii admissi prius quam prodatur, mori vult; dignus est ut insepultus abjiciatur, ut sic, qui patris imperium non exspectaverunt, priventur quasi matris gremio, terra sepulchro. Quod & apud Hebræos observari tradit Josephus lib. 3. de bello Judaico, cap. 25. & apud Romanos idem viguisse tradit Plinius lib. 36. cap. 15. Utopiensium Sacerdotes, si quis mortem sibi consciverit, causâ non probatâ, à Senatu in paludem turpiter insepultum abjiciunt. Thom. Mor. lib. 2. Utopia. Ecrivines Milesias hac penâ absteritas à voluntaria nece se abstulisse, referunt Gellius lib. 15. nocturnum, cap. 10. Plutarchus de mulierum virtute. Unde Cedrenus pag. 607. refert circa mediam Constantinopolim locum fuisse ubi istorum cadavera projiciebantur. Plato lib. 9. de legibus statutum tradit, ut in illis locis eorum corpora conderentur, quæ de duodecim regionis partibus ultima,



ultima, deserta, innotinataque fuissent, sic obscura, ut nec ita uti, nec scripto nomine sepulchra notarentur. Philostratus in *Heroticis*, ait: *Sepeliverunt ipsum Ajacem, interim manente calcabante, quia nefas esset sepelire eum, qui mortem sibi ipsi consciverat.* Statius lib. 3. *Theb.* Mæonem, qui sibi vim intulerat, sic describit:

— *Vetat igne rapi, pacemque sepulchri  
Impius ignavis ne quicquam manibus arceat.*

Apud infernos eorum animas sepeliri, docet Virgilius lib. 6. *Aeneid.* & post fata eas cadaveribus magis, magisque vincitur, atque illis assidue coherere, circaque funus, sepulchraque vagari, ex variis referunt Joannes Brodeus lib. 5. *miscell. cap. 11.* D. Laurentius Ramirez de Prado in *Pentecost. cap. 20.* Unde nec illi lugeri poterant, *l. liberorum, §. non solent, ff. de his qui notantur infamia.* Quare Artemidorus lib. 1. *cap. 5.* protulit eorum, qui se interemerunt, nomina non referri in parentationibus. Cujus loci meminit Alciatus lib. 6. *Paverg. cap. 27.* An verò hæc Artemidorii sententia generaliter accipienda sit, ita ut nomina eorum, qui se interemerunt, in parentationibus non dicantur, sive id fecissent conscientia criminis, vel in scelere deprehensi, sive ob tedium vitæ, dubitari solet. Cujacius in *l. in fraudem 45. ff. de jure fisci*, accipit Artemidorum de his, qui se interemerunt in ipso reatu; eodemque modo accipit Varroem apud Servium lib. 12. *Aeneid.* dum ait, *ff. de his qui notantur infamia.* Et probari aperte videtur ex dicto *§. non solent*, in illis verbis: *Nec qui manus sibi intulerunt, non tadio vitæ, sed mala conscientia.* Quidam Primarius nostræ Academiæ distinguebat inter suspendiosos, id est eos, qui laqueo se interemerunt, & qui gladio, aut simili instrumento vitam finirent: primos non lugeri, secundis verò iusta perfolvi docebat. Credo tamen indistinctè omnes illos, qui mortem sibi conscivere, sive tadio vitæ, sive criminis conscientia, lugeri non posse, cum nullus ex eis effugere valeat notam turpis animi; siquidem illius, qui ultra criminis conscientiam sibi fatum proparavit, memoriam quodammodo laesam esse apud probos, & honestos viros, notum est; unde talis lugeri non poterat, ut etiam lugeri nequibat suspendiosus, qui licet à carnifice laqueo suspenderetur, non lugebatur. Varro ubi supra. Servius ad *Virgil. lib. 12. Aeneid.* ibi: *Sanè sciendum, quod cautum fuerat in Pontificalibus libris, ut qui laqueo vitam finisset, insepultus abjiceretur.* Rationem reddit Euripides in *Elena*, dum ait: *Turpes esse strangulationes sublimis.* Infame enim, & vilissimum hoc genus mortis est, unde tantummodo infamis conditionis homines eo plectuntur, *l. moris 9. §. sedet, final. ff. de pæn.* & hanc pœnam veluti gravissimam imponi iussit Dominus quibusdam Sacerdotibus idololatriæ, *Numer. cap. 25.* Illustrant Tiraquellus de *nobilit. cap. 20. num. 113.* Lucas de Penna in *l. quamvis, C. de decur. libro 10.* Nec contrarium probat Ulpianus in dicto *§. solent*, in illis verbis: *Non tadio vitæ; nam cum Ulpianus scholam Proculejanorum sequeretur, accipiendus est juxta Stoicos, qui credebant tadio vitæ, aut impatientia doloris cuilibet licere manus sibi conficere.*

6. *Referuntur alia pœna.*  
Privationi sepulturæ consequens est, ne pro his defunctis oblationes recipiantur: Concilium D. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. III. Pars II.*

lium Altissiod. dicto *can. 17.* Aurelian. 3. *cap. final.* Cum enim per oblationes quodammodo inter fideles detur communio, ideo qui communione Ecclesiæ seclusi sunt, etiam ab eis offerendis arcentur. Concilium Illiber. *can. 28.* ibi: *Episcopum placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere.* Ubi plura notavimus. Unde pro illis, quibus denegatur sepultura ecclesiastica, oblationes non admittebantur, *cap. de viro 12. quæst. 2. cap. miror 17. q. 4. cap. eos, de consecr. dist. 4. cap. in omnibus, de usuris, cap. 2. de raptor. & in aliis iuribus congestis ab Antonio Augustino in epit. lib. 15. tit. 23. Landmeter. lib. 2. de veteri monach. capite 40. Rosveido in notis ad epist. 3. D. Paulini, Albalpin. lib. 1. observ. cap. 5.* Aliquando tamen oblationes fiebant pro his, qui decedebant in pœnitentia, ut restituerentur communioni. Concilium Arelat. 2. *can. 12.* Concilium Vafense *can. 11. Tolet. 12. can. 16.* notarunt Albalpineus lib. 1. *observ. cap. 10.* Hæphtenus in *vita S. Benedicti, cap. 23. num. 6.* in expositione illorum verborum: *Hanc oblationem pro eis offerri Domino facite.* Et ulterius: *Excommunicati non erunt.* Nec etiam nomina ita defunctorum inter Missarum solennia recitabantur; ex ratione quam illustrabimus in *cap. 5. de hereticis.* Testamenta etiam eorum irritari, bonaque eorum fisco applicari, probatur *ex l. 6. §. 7. ff. de injusto rupto, l. 1. §. si quis non metu, ad Syllan. l. parricidii, ff. ad legem Pompejam de parricid. l. 3. §. 4. ff. de bonis eorum qui sibi mortem, l. 2. C. qui testamenta, Paul. lib. 5. sentent. tit. 22. §. 1. l. cum hic status 32. §. si maritus, ff. de donat. inter, l. ejus 34. ff. de testam. milit. l. in fraudem 45. §. 2. de jure fisci, l. penult. C. si reus vel accusator, l. 2. C. ubi cause fisco.* Quod ita generaliter accipiendum non est in omnibus, qui sibi mortem consciverunt, sed tantum in illis, qui conscientia criminis id fecerunt in reatu, id est postquam rei postulati fuerint ex delicto, cujus pœna sit mors, aut capitis diminutio, & per consequens bonorum publicationem contineat; aliàs si impatientia doloris, tadio vitæ post contractum crimen, sed non capitale; aut capitale, sed nondum accusatus, quis sibi mortem consciverit, nec bonorum publicationem patitur, nec testamentum ejus rumpitur. De primo ratio est, quia pro confesso, convicto, ac condemnato habetur, *l. 6. §. ejus, vers. Proinde, ff. de injusto rupto, l. 1. C. de bonis eorum, qui ante, l. factum, C. de accusat. & ipsa mortis festinatione de seipso sententiam tulit, l. final. §. sic autem, ff. de bonis eorum.* Seneca de *consolat. ad Martiam, cap. 22.* Tertul. in *apolog. Tantum auctori suo doloris incusserunt, ut in secessu inedia de semetipso judicavit.* Apulejus lib. 8. *metam. Quintil. declamat. 299.* Fornerius 6. *rer. jud. cap. 21.* Unde cum damnati ex delicto capitali testamentum facere non possint, *l. ejus, §. 1. de testam. milit. dicta l. 6. §. irritum, l. qui ultimo, ff. de injusto rupto, l. quidam, l. quoad status, ff. de pœnis;* ideo testamentum ejus rumpitur. In secundo verò, quia cessat hæc ratio, & testamentum defenditur, & bona non publicantur, ut docuerunt Amaya in *l. eorum, C. de jure fisci, ex num. 72.* Cujacius in *recit. ad textum in l. in fraudem 45. §. ejus, ff. de jure fisci, & in dicta lege 6. §. ejus, de injusto, & lib. 11. respons. Papin. in l. infra 10. ff. de diversis; &*

lib. 18. in l. 3. ff. de bonis eorum. Faber lib. 7. conject. cap. 20. Fatiniaci in praxi, quest. 128. Ut ergo bona eorum, qui sibi mortem conscivere, fisco vindicentur, non fari celeritas, sed metus conscientie in reo attenditur; ideoque si antequam reus postuletur, decedat, bona non publicantur; quia etsi quodammodo delictum confiteri videatur, pro convicto tamen non habetur, quia non decessit in ipso reatu; & confessus tantum habetur, qui confitetur in iudicio, l. 1. C. de confessis, l. quidam 30. ff. de donat. l. 4. §. item, ff. ad legem Jul. Majest. unde venit explicandus Diocletianus lib. 57. ubi ait, saviente Tiberio in Senatores, plures ante iudicium se interfecisse, ut bona eorum ad liberos pervenirent, nec a fisco occuparentur.

77. Quam etiam distinctione accipiendi sunt textus in l. si in libertinum 28. §. eadem, ff. de bonis liberti. ubi postquam Florentinus asseruit, eripiendum non esse patroni jus illud, quod in bonis liberti habituri essent, si fortassis in libertum non animadvertetur, proponit idem servari in bonis eius liberti, qui metu accusationis sibi mortem conscivit. Qui textus probat distinctionem supra adductam, siquidem Consultus æquiparat libertum damnatum illi, qui metu accusationis mortem sibi conscivit. Illud tantum difficile est, quod æquiparat Florentinus liberti damnato eum, qui metu accusationis sibi ipsi mortem conscivit, cum adhuc ipse in reatu non esset: Igitur nullum datur discrimen inter eum, qui metu criminis, ne accusaretur; & inter eum, qui jam in reatu mortem sibi conscivit. Sed respondetur illa verba, metu accusationis, exaudienda esse metu accusationis non futuræ, sed præteritæ, aut ipsum libertum manifestè delictum commisisse; quo casu, si ne pœnam pateretur, mortem sibi conscivit, bona a fisco vindicantur patrono debitâ portione relicta, ne in potestate ipsius liberti sit delictum perpetrando patronum debitâ portione private. Quæ ratio etiam facit, ut libertus in adrogationem se dare nequeat, l. 1. §. nepos, ff. si quis a parente, ubi Cujacius, l. pater, l. ult. ff. de adoptione. Olyvaldus lib. 2. Domellus, cap. 23. Amaya in l. unica, C. ad legem Visellam. Secundò ex eadem distinctione explicandus est Ulpianus in l. si quis filio 6. §. eius, ff. de injusto raptu: ubi postquam Consultus docuit, Decuriones, eorum filios, & nepotes, inconsulto Principe, ultimo supplicio damnari non posse, & docuit eorum testamenta, qui antequam sententia à Principe confirmaretur, decesserunt, valida esse; eam exceptionem adjicit, nisi mortem sibi conscivissent: nam eo casu testamenta irrita fieri. Cujus exceptionis eam assignat rationem: Nam eorum, qui mori magis, quam damnari voluerunt, ob conscientiam criminis, irrita constitutiones faciunt. In quibus verbis illud notandum est, testamenta eorum, qui ob conscientiam criminis sibi mortem conscivere, irrita fieri ex constitutionibus Principum: unde inferitur, primis Reipublicæ temporibus hoc observatum non fuisse. Cujus rei elegantissimum testimonium extat apud Valerium Maximum lib. 9. cap. 12. de moribus, ubi legitur, Licinium Macrum, virum Prætorium, reum repetundarum, sudario, quod fortè in manu habebat, ore, & faucibus coarctatis, in cluso spiritu vitam finivisse; & legitur ejus bona non posse hæcæ subjici, id est

arario applicari: & juxta traditam scholarum distinctionem accipiendi sunt textus in l. 1. §. 22. cum sequent. ff. ad Syllan. l. 26. ff. qui testamenta, l. 45. §. eius, de jure fisci, Paulus lib. 5. sentent. tit. 12. §. 1. l. final. ff. de bonis eorum, l. factum 11. C. de accusat. l. 8. ff. ad legem Pomp. l. 38. §. final. l. 39. §. 1. ff. de poenis, l. 11. §. 3. ff. de his qui norant. infam. l. ejus 34. ff. de testam. milit. l. 8. ad legem Corneliam de fisco. l. 13. ff. ad leg. Aquilianam, l. 1. §. 21. ff. de adilit. edit. l. 23. §. 3. cod. tit. l. 28. §. 1. ff. de bonis liberti. l. 32. §. 1. de donat. inter, l. 4. §. 5. Cod. Theodosius de tyron. l. 9. §. si ipse servus, ff. de peculio, in illis verbis: Naturaliter licet in suum corpus servire. Nam cum juxta Cynicos, à quibus Stoici acceperunt, non solum liceret bona sua profundere, sed & vitam propriâ manu absumere, Ulpianus, qui ex eorum Schola fuit, docuit naturaliter licere homini in suum corpus servire, licet juxta moralem vitam, & leges positivas suiipius homicida puniendus sit. Videndi sunt Alciatus lib. 4. Parerg. cap. 4. Merillus lib. 1. observ. cap. 23. Petrus Faber lib. 1. semestr. cap. 12. Gutherus lib. 1. de jure manium, cap. 22.

Manet ergo, manus sibi inferentes, factumque properantes, privari ecclesiasticâ sepultura in pœnam tam immanis delicti. Hoc enim genus mortis appellarunt informe Ecclesiæ PP. in cap. scelerator, de poenis. dist. 3. Josephus apud Aegleppum lib. 3. ibi: Informis lethi laqueum homines incurunt. Virgilius lib. 12. Aeneid.

Et nondum informis lethi jam nescit ab alta.

Ubi Servius asserit, idèo informe genus hoc mortis appellari, quia qui laqueo vitam finierunt, insēpulti abijciuntur; adeoque foedissimum, & indecorum fuit hoc mortis genus apud antiquos, ut nefas esset libare Diis vinum vitis, juxta quam homo laqueo penderet. Plinius lib. 2. cap. 25. qui eleganter hanc mortem vocat præposteram, quia scilicet includitur spiritus, cui debet quæritus exitus; diciturque foeda, quia spiritus inclusus foedissimâ expellitur viâ: unde in lege veteri maledictus fuit à Deo homo, qui penderat in ligno. Deuter. cap. 21. refertur in cap. si verò, §. tanquam, de poenis. dist. 2. Sed cum in præfenti casu fœmina non sponte, sed ut à persecutoribus se liberaret, fugeret; indeque inconsulto in flumen projiceretur, ecclesiasticâ non privatur sepultura, quia potius casu, quam voluntariè occubuit.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam etsi verum sit, fœminam in præfenti casu per vim præcisam oppressam, non peccare lethali, sed auctoritatibus supra adductis; tamen exponebat se periculo peccandi postea consentit accedente. Accedit, quia etsi per vim oppressa esset, tamen quoad Ecclesiam postea inter virgines non haberetur, cap. illa, 32. g. 5. ibi: Illa autem fœmina, quæ integritatem pudoris oppressione barbarica perdidit, laudabiliores erunt in humilitate, ac verecundia, si se incontaminatas non audeant comparare virginibus. Notavit Germonius lib. 3. sacror. cap. 10. num. 13. Unde tutius in præfenti casu virgo existimavit pudicitiam servare, quam mortis periculo se exponere. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis, deductum ex eo, qui ut servaret castitatem, se mutilavit; nam id procedit, quia alio modo servare castitatem poterat; quare meritò irregularis judicatur, tantumquam

quam sui homicida, ut latè probavi in cap. 4. de corpore vitiatu. Nec obstat secunda difficultas, cuius solutionem dabimus sequenti commentario.

10. Suprà traditis obstat textus in cap. non est nostrum 23. q. 5. ubi ait D. Hieronymus: *Non est nostrum moriemur arripere, sed ab aliis illatam libenter sustinere; unde & in persecutionibus non licet propriam perire manu, absque eo ubi castitas periclitatur; sed percutienti colla submittere.* Et quibus deducitur, servanda castitatis causâ licere sibi mortem inferre: igitur in presenti casu, sive sponte, sive casu fœmina se præcipitasset, cum servandæ castitatis causâ id fecisset, nunquam ecclesiasticâ sepulturâ privanda erat. Pro cuius textus expositione Lessius lib. 1. de iustitia, cap. 9. dub. 6. num. 23. & alii, quos refert, nec impugnat Lugo tom. 1. de iustitia, disput. 10. sect. 1. num. 16. non reputant inconueniens dicere, quod Sanctus doctor in illa sententiâ fuerit, quæ ob custodiam virginitatis asserit, se occidere licere, Glossæ ibi, Turrisicrem. Barbosa de dictionibus, dict. 2. Cenus post lib. qq. can. sing. 2. num. 4. Joannes Major in 4. disput. 15. quest. 19. existimarunt verba illa, *absque eo*, non esse exaudienda exclusivè sed inculivè, ut plerunque accipiuntur, cap. 4. Cantuarum, in illis verbis, *absque eo, quod intrinsecus later: & l. meminisse, ff. offic. Procons. l. 1. ff. de pignorat.* Sed his solutionibus ommissis dicendum est, nemini licere se interimere, etiam ob servandam castitatem, ut docet D. Augustinus lib. 1. de civitate Dei, cap. 26. aliquando tamen id non turpe putari, quia factum fuit ex inspiratione divina, ut de Sancta Polonia, quæ se in rogam injecta, refert Eusebius lib. 6. cap. 33. & de aliis D. Ambrosius de virginibus lib. 3. cap. 2. Sanctus Chrysostomus homil. de SS. Veronico, & Proface, & homilia de S. Pelagia, ubi testatur, multas sanctas virgines, ut persecutorum vim effugerent, pectora gladiis confodisse. D. Hieronymus in Iovinianum epist. 1. & de duabus fœminis in flumen projectis; idem narrat Procopius lib. 2. de bello Persico; & exemplum simile presenti casui refert Bernardinus Scardeonius lib. 2. antiquit. verbis Patav. class. 14. ubi refert Elizabetham è ponte se præcipitasse, ut è manibus militum pudicitiam ejus attentantibus se eriperet. Cui Joannes Noventanus Patavinus hoc epitaphium posuit.

*Euganeas in mereferens virtute puellas,  
Hoc jaceo indignè condita virgo loco.  
Nam cum me peteret lascivum miles ad usum,  
Munera posse mori magna suere mihi.  
Disce, age, sit quanti conservans virgo pudorem.*

*Pro quo nihil timui perdere corpus aquis.*

Tales enim fœminas inspiratione divinâ hoc fecisse creditur, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 5. ubi Cajetanus & alias Gentiles, quibus fidei lumen deficiebat, potius ignorantie, quam desperationis causâ mortem sibi conscivisse credimus, ut de Lucretia refert & probat Ambianus ad Tertul. cap. 4. ad Martyras, observ. 2. & de Cleopatra idem tradit Grotius lib. 2. de jure belli, cap. 19. in not. ubi de virginibus Milesiis agit. Unde D. Hieronymus in dicto cap. non est nostrum, in illis verbis, *absque eo, ubi castitas periclitatur*; accipiendus est juxta exempla proximè relata, accedente videlicet inspiratione divinâ; tunc enim ob servandam castitatem, vel similem causam licet propriâ perire manu, ut docuit D. Augustinus lib. 1. de civitate Dei, cap. 26. Profœquantur ipsius textus interpretationem Mesana de difficilior. D. Hieron. locis, verbo Occidere sc. Vellosillus in advert. ad Hieronym. tom. 5. quest. 2. Theophilus tom. 4. lic. 3. de vitiiis, sect. 3. cap. 1. qui dicta verba D. Hieronymi accipit ita, ut Sanctus in eis nihil affirmet, nec probet, licere ob castitatem servandam suimetipsius occisionem.

## CAPUT XII.

## Idem (a) Vitroviensis Episcopo.

Sacris est canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communemur defunctis, & ut careant ecclesiasticâ sepulturâ, qui priùs erant ab ecclesiastica unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint. Unde si contingat interdum, quod vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio casu in cimiterio ecclesiastico tumulentur, si ab aliorum corporibus discerni poterunt, exhumari debent, & procul ab ecclesiastica sepultura jactari. Quod si discerni non poterunt, expedit non credimus, ut cum excommunicatorum ossibus corpora tumulentur fidelium, cum licet non obsit iustis sepultura nulla, vel vilis, impiis tamen celebris, vel speciosa non profuit.

## NOTÆ.

(a) *Vitroviensis.* Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 3. sed legendum est *Nidrosiensis*, ut jam probavi in cap. sacris, de his que vi, ubi extat alia pars hujus Decretalis.

## COMMENTARIUM.

EX fragmento epistolæ Innocentii III. hic relato sequens deducitur disputanda assertio: *Excommunicati non sunt tradendi sepultura ecclesiastica; & si de factis intra Ecclesiam sepeliantur, citius & exhumandi sunt, si discerni possint ab aliis fidelium corporibus, alias ibi relinquantur.* Probant eam textus in cap. quicumque 11. 13. quest. 3. cap. 1. cap. sane, 24. quest. 2. cap. consultur, de consecr. Eccles. cap. quod in re, de penit. & remiss. cap. su-

Bbb 2 per

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

per quodam, de statu monach. cap. ad hęc 5. cap. ut privilegia, de privil. cap. a nobis. el. 2. de sent. excomm. cap. Episcoporum, de privil. lib. 6. cap. quicumque, de hęretic. eod. lib. cap. is qui, eod. tit. lib. 6. Clement. 1. hoc tit. Alexander III. epist. 40. que extat inter eas, quas edidit Sirmundus, ibi: Prohibeat, ne quolibet excommunicatos ad divina officia, vel sepulchram recipere audeant; & si quos excommunicationis vinculo innodatus sepelierunt, eos appellatione, & contradictione non obstante demulcare, & de cameterio episcere non postponant. Innocentius noster lib. 1. registr. 13. epist. 60. ibi: Faceremus de cameterio ecclesiastico exhumari. Et lib. 4. epist. 26. ibi: Cameteria verò, in quibus excommunicatorum corpora per suorum violentiam propinquorum sepulta fuerunt, reconcilianda erunt. Consonant lex 14. ut. 10. lex 8. tit. 13. p. 1. Illustrant ultra congestos à Barbosa in presenti, & in cap. ad hęc 5. de privileg. & de jure Eccles. lib. 1. cap. 10. num. 40. Felicianus Vega in cap. intelleximus 7. num. 25. de judiciis, Suarez de censur. dispur. 11. sect. 4. Spontanus de cameteriis, 1. p. lib. 4. cap. 7. Gutierrez lib. 1. canonico. cap. 1. num. 30. lae Ricciulus de jure person. lib. 4. cap. 6. n. 45. Jul. Lavorus tit. 2. lucubr. cap. 13. num. ult. Besquetus in notis ad Innoc. III. lib. 1. epist. 60. plures referens Gibalinus de censuris disquisit. 7. p. 1. q. 2. fuse Murga tom. 2. disquisit. mor. disquisit. 3. per totam, Teophilus tom. 14. de literis moni. lib. 2. cap. 2. fol. 417.

3.  
Impu-  
gnatur  
gradia  
assortio.

Sed hęc assertio difficilis redditur sequenti juris consideratione; certum enim est, crimina morte extingui, & per consequens eorum personas post mortem reorum cessare, l. defuncto 6. ff. de public. judic. l. ex judiciorum 20. ff. de accusat. l. si pena 20. ff. de penis, l. 1. ff. de privat. delict. l. constitutionibus 33. ff. de obl. & act. l. sicuti 38. l. pupillus 111. ff. de reg. jur. l. 1. & 7. C. si reus, vel accusator, cap. quorundam, 23. dist. cap. admonere 32. quest. 2. cap. causam, el. 2. qui fil. sint legitim. plura Petrus Barbosa in l. filius 15. ff. de judiciis. Decianus tract. crim. lib. 5. cap. 57. Antonius Gomez lib. 3. variar. cap. 1. num. 78. Schifordeg. lib. 1. ad Fabrum, tract. 10. per totum, & lib. 2. tract. 1. quest. 9. Vega in dicto cap. intelleximus, num. 27. Amaya in l. 10. C. de jure filio: qui enim ex hac vita decedunt, quasi ad superius tribunal adducuntur. Glossa in cap. 1. 26. q. 7. & sic à judico humano eximuntur, dicto cap. quorundam, 23. dist. facit Optatus lib. 6. dum in Donatistas invehitur insepultos relinquentes Christianos ibi: Si inter viventes fuerat certamen, odia vestra vel mors aliena compestat; jam tacet cum quo paulo ante litigabas; quid insulas funeri? quid impetis sepulchram? Deinde quia in defuncto deest principalis ratio pęne infligendę, quia, ut ait Consultus in l. pęna, ff. de penis, pęna constituitur ad emendationem hominum, quę emendatio in defuncto deficit: ergo decedentes in excommunicatione non debent tam gravi pęnã puniri, videlicet privatione sepulchre ecclesiasticę, aut si jam sepulti sunt, exhumatione; præcipue cum tam immanis sit privatio sepulchre: unde de Gentilibus in Christianos faventibus conquerebantur Tertul. in apolog. cap. 37. Nec mortuis parcunt Christianis, quin illos de requie sepulchra de asylo quodam mortis, jam alios jam nec totos avellant, dissecant, disrraham. Lactantius lib. 5. divin. instrit. cap. 11. D. Ambrosius epist. 3. contra Symmachum. Augetur

primò hęc dubitandi ratio ex eo; nam quilibet Catholicus habet jus, ut sepeliatur in sepulchro majorum, cap. 1. ubi probavi, hoc tit. de excommunicatione non privat excommunicatum dominio rerum suarum, aut juribus sibi competentibus: igitur sepeliri poterit in sepulchro majorum. Secundò adversus rationem illam ab Innocentio adductam: Quibus non communicamus vivos, non communicemus defunctis, sic insurgo. Cum mortuis nullum commercium, nullaque communitio est, & inter animas à corporibus separatas, & vivos aliena conversatio est, ut probat Abulensis ad D. Marbaum, cap. 25. quest. 295. ex sanctis Patribus probant Mendoza q. 5. quodlib. Martinus Delrio lib. 2. disquisit. quest. 26. sect. 1. Mortuus enim non est homo, qui homo ex conjunctione animę, & corporis subsistit, ut docet Innocentius noster in cap. in quadam, vers. Sed adversus, de celebrat. Missarum, Clement. 1. §. porro, de summa Trinit. ex D. Thoma & Aristotele probat Navarrus in Manuali, præul. 1. num. 11. Ant. Gomez lib. 3. variar. cap. 3. num. 32. ergo non est ratio, quare credamus per sepulchram vivos cum defunctis communicare: unde excommunicationem post mortem non durare docuerunt Hostiensis in cap. ad hęc, de privil. Archidiaconus in cap. illi qui 6. quest. 1. ergo non est ratio, quare excommunicati sepulchra ecclesiastica non tradantur. Accedit etiam, nam si ratio ab Innocentio adducta esset vera, sequeretur, leprofos, cum quibus in vita non communicamus, cap. 1. de conjug. leproso. cap. 2. de Eccles. edific. non posse sepeliri in Ecclesia; & fures, raptores, & similes, cum quibus in vita communicamus, posse ecclesiastica sepulchra tradi; cum contrarium certum sit, cap. 2. de sortis, cap. 2. de raptor. cap. unic. de torneam. Ergo non est vera ratio adducta ab Innocentio. Tandem adversus eam partem, in qua docetur, excommunicatorum corpora intra Ecclesiam sepulta exhumanda esse, obstat; nam defunctorum corpora femel sepulta non possunt exhumari, etiam ut in alium locum transferantur inconsulto Principe, l. Divi fratres 39. §. 1. ff. de relig. l. 2. ff. de cadaver. punit. probant Fornerius lib. 3. rerum quotid. cap. 6. Gutherus lib. 2. de jure Pontif. cap. 9. ergo non exhumandi sunt statim excommunicati. Accedit, nam tempore interditi regulariter nemo intra Ecclesiam sepeliri potest, Clement. 1. hoc tit. sed si aliquis eo tempore in Ecclesia sepeliatur, exhumandus non est, Glossa in cap. si civitas, de sentent. excom. ergo similiter excommunicatus, si de facto in Ecclesia sepeliatur, non idè est exhumandus.

Quibus difficultatibus minime obstantibus vera est præfens assertio, pro cujus expositione sciendum est, omnes defunctos tradendos esse sepulchre, nisi specialiter prohibiti reperiantur sepeliri; pluribus enim in pęnam alicujus immanis sceleris commissi sepulchra denegatur, quę pęna non exilis, immò & gravis apud omnes nationes fuit; quare olim vix nisi Biotanathis, & paricidis imponebatur, ex Aegippo, & Josepho probat Girald. de var. sepel. ritu, pag. 647. quia ex Platoni opinione inculptorum animę per centum annos aberrare credebantur, nec Acheronte recipi unde Virgilius ajebat:

Hęc omnis, quam cernis, inops, inbumataque  
rurba,

Nec ripas datur horrendas, nec rauca fruenta

Trant-

*Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt;  
Centum errant annos, volitantque haec litora  
circum,  
Tunc demum admissi signa exoptata reuisunt.*

Tertullianus de anima, ibi: Creditum est, insepul-  
tos non ante ad inferos redigi, quam iusta perciperent.  
Unde iure Romanorum insepulta manebant cada-  
vera eorum, qui proditorii, seu perduelles fuerant,  
l. minime 35. ff. de relig. l. liberorum. §. 3. ff. de his,  
qui notant. infam. quod & de aliis nationibus idem  
probat Spondanus de cæmeteriis lib. 2. p. 1. cap. 7.  
Item insepulti jacebant parricidæ, l. quod si nulla  
10. ff. de relig. l. 9. ff. ad legem Pompejam, latè illu-  
strant Solorzanus de parricid. cap. 22. §. 23. For-  
nerius 2. rer. quotid. cap. 16. D. Joannes Ramos eod-  
dem tract. d. lib. 2. cap. 7. Item illi, qui sibi mor-  
tem consciverant, ut probavi superiori commen-  
tario. Etiam sacris canonibus plures ob majora sce-  
lera sepulturâ privantur; nam licet ævo sancti  
Chrysostomi neminem, quantumvis noxium, pri-  
vatum esse sepulturâ, saltem post unum, vel alte-  
rum diem, ipse Chrysostomus testetur sermon. 35.  
in 1. ad Corinthios, contrarius tamen usus invaluit,  
ut cum multis docent Carillo in bullam defuncti. 2.  
p. cap. 4. §. 4. num. 50. Spondanus de cæmet. lib. 2.  
tota part. 1. quare sepulturâ privati cœperunt infi-  
deles, Judæi, Hæretici, & Schismatici, cap. Ec-  
clesiam 27. cum seq. de consecr. dist. 1. etiam post  
mortem detecti fuerint, cap. sanè 24. q. 2. item  
eorum defensores, & receptatores, cap. sicut ait, de  
heretic. excommunicati notorii, & vitandi, ex hoc  
textu, & supra citatis. Item interdicti nominatim,  
cap. in nostra, hoc tit. cap. cum in partibus, de verb.  
sign. Clement. 1. de heretic. & illi, quibus est Ecclē-  
siæ ingressus prohibitus, cap. is cui, de sentent. ex-  
com. lib. 6. blasphemii, cap. statumus de maledic.  
monachi proprietarii, cap. super, de statu monach.  
raptores impœnitentes, cap. super eo, cap. in lit-  
teris, de raptor. fures, & latrones, qui in furando occi-  
duntur, cap. 2. de furtis, decedentes in torneamen-  
tis, cap. 1. de torneam. qui in duello, seu singulari  
certamine occisi fuerint. Concilium Trident. sess.  
15. de reform. cap. 19. Concilium Frising. anno  
1440. can. 10. Presenti constitutione ducimus inhi-  
bendum universis clericis nostræ diocesis, ne suscipi-  
ant paribulo, decollatos, vel alios qualitercunque sententiæ  
mortis traditos in torneamentis studio publicis, specta-  
culis, aut alios occisos, vel subito defunctos, qui non  
eodem anno confessi, vel alias in mortibus peccatis  
morte præventi fuerint, vel non receperint Eucharis-  
tiæ Sacramentum, nisi de consilio Sacerdotum du-  
xerint abstinentium, tradere præsumant ecclesiasti-  
cæ sepulture absque licentia nostra. Incendiarii,  
qui odio, vel malo studio ignem appoluerunt,  
dicto cap. in literis, de rapt. item qui decimas à  
laicis acceptas Ecclesiæ non restitunt, cap. pro-  
hibemus, de decimis: qui absque causa absti-  
nent à communione Eucharistiæ ultra annum,  
nisi signa contritionis ostenderint in morte, cap.  
omnis, de penit. exenterrantes cadavera, extra-  
vag. detestabili, hoc tit. inter communes: refert  
Joannes Major in 4. dist. cap. 45. quæst. 4. Tan-  
demque omnes publici peccatores decedentes  
notoriè in ipso peccato, ut sunt usurarii, con-  
cubinarij, & meretrices, cap. quibus. cap. non  
estimemus 13. quæst. 2. cap. quia in omnibus, de  
usuris, cap. quanquam, eodem tit. in 6.  
Et olim etiam ecclesiastica sepultura denegaba-  
D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

tur illi, qui presbyterum tutorem designasset in  
testamento, cap. neque, dist. 88. & sanctimoniali  
irreligiosè viventi. Concilium Rhemense sub  
Eugenio III. apud Baronium tom. 12. anno 1148.  
omnes enim supra relati, cum psalmis, & cantu  
juxta veterem Ecclesiæ morem, quem illustrat  
Theophilus tom. 15. in Heterocl. p. ult. quæst. 4.  
fol. 539. & oblationibus prohibentur ad Ecclē-  
siam deferri, & clerici eos ad sepulturam fufci-  
pientes, excommunicationem incurrunt, five ex-  
empti sint, five non. Clement. 1. hoc tit. immò  
& exemptos excommunicatos sepelientes potest  
Episcopus punire, ut latè probat Gibalinus de  
censuris disquisit. 7. quæst. 2. fol. 224. de quibus  
omnibus prohibitis sepeliri in Ecclesia inte-  
grum tomum edidit Murga tom. 2. disquisit.  
mor.

Deinde sciendum est, non esse in morte com-  
municandum cum quibus non communicaba-  
tur in vita; & nefas esse cum illis communicare  
post obitum, cum quibus fas non erat preces  
effundere, cap. quicumque 12. q. 3. cap. sanè 24.  
quæst. 2. cap. ad hæc 5. de privil. juncta integrâ  
ibi: Quoniam grave sit eis in morte communicare,  
quos dum viverent, Ecclesia a suo sinu pro suis ex-  
cessibus segregavit. Nec solum oratione, verum &  
sepultura cum defunctis communicatur; sepul-  
tura enim res spiritualis, seu actio spiritualis  
est; unde satis videtur cum defuncto communi-  
care, qui illum sepulture ecclesiasticæ tradit:  
immò & per sepulturam infra eandem Ecclē-  
siam inter eosdem defunctos communionem dari,  
latè probat Spondanus de cæmeteriis lib. 4. p. 1.  
cap. 7. per totum; & id suadet nonnullis gra-  
vissimis exemplis. D. Gregorius lib. 2. dialog. 23.  
in miraculis Sancti Benedicti ait de duabus  
sanctimonialibus, quibus ipse sanctus ob lingua  
intemperantiam excommunicationem communi-  
catus fuerat; cum ipsæ pristinis moribus nihil  
mutate, brevi diem obeuntes, sepultæ in Ecclesia  
essent, quotiescunque in ea Ecclesia Missarum  
solemnia celebrarentur, atque ex antiquo more  
diaconus clamaret, Si quis non communicat, det  
locum; visas eas esse de sepulchris suis progre-  
di, & exire, quousque à sancto Benedicto ab  
excommunicatione absolute fuerunt. Etiam re-  
fert Joannes Moscus in Prælo Spirituali. cap. 40.  
Cofinam Abbatem Lauræ, virum singularis re-  
ligionis, ac fidei, sepultum fuisse in monumen-  
tubi sepultus fuerat quidam Episcopus occul-  
tus hæreticus, & singulis noctibus auditum  
fuisse clamantem, Noli me tangere hereticæ, ne  
appropinques mihi, inimice sanctæ catholicæ fidei.  
Alia tradit Spondanus ubi supra. Equissimum  
ergo est; ut corpora eorum; quos peccata in ba-  
ratarum detrudunt; longè segregentur à sepul-  
chris eorum, quos pietas ad caelum evehit; &  
ne communicemus cum mortuis; cum quibus in  
vita non communicabamus.

Ex quibus jam apparet vera decidendi ra-  
tio ad nostrum textum; nam cum omnis com-  
municatio prohibita sit cum excommunicatis jam à  
temporibus Apostolorum in can. 11. ibi: Si quis deciden-  
cum excommunicato simul oraverit, communione di-  
privetur; & cap. sicut Apostoli, cum sequenti. 11. q. 3.  
Rectè statutum est, ne excommunicatum sepul-  
tura ecclesiasticæ tradamus, ita in divinis com-  
municare non licebat: sepultura enim; si atten-  
dimus locum, si inspicimus divina officia; quæ  
Bbb 3 in

in exequiis celebrantur. si orationes, quas fundit Ecclesia, consideramus, actio spiritualis est; unde non licet in ea cum excommunicato communicare, nec illi defuncto debet in Ecclesia ingressus permitti, cui in vita prohibitus erat. Pro cuius rationis illustratione expendo Marciani responsum in l. 2. ff. de cadaveribus punit. ubi ait Consultus, cadavera eorum, qui in insulam relegati, aut deportati erant, non posse etiam post mortem intra civitatem transferri, & sepeliri, quod & agnovit Ovidius lib. 3. Tristium eleg. 3.

*Quantam erat, o magni perituro parcere Divi!  
Ut saltem patriâ contumularer humo.  
Integer hanc potui nuper bene reddere vitam,  
Exsul ut occiderem nunc mihi vita data est.*

Et licet tempore Ovidii licuisse corpus defuncti relegati ab insula efferri, & in patriam sepeliri, existimet D. Nicolaus Antonius de exilio lib. 1. cap. 15. contrarium tamen, & rectè, docuerunt Albericus Gentilis in lect. Virgil. cap. 2. D. Josephus de Retes ad l. 4. ff. de interd. & releg. & in addit. Nec contrarium docuit ipse Poeta in vers. sequent. ibi:

*Ossa tamen sacito parvâ referantur in urnâ,  
Sic ego non etiam mortuus exul ero.  
Non vetat hoc quisquam: fratrem Thebana parentum  
Suppositum tumulo, Rege vetante, soror.*

Nam ibi Ovidius tantum intendit suadere conjugem, ut furtivè ossa sua in patriam reducat; unde ait, ut in parva urna ossa referantur, ut faciliè furtim in patriam possint asportari: quod & suadetur exemplo Thebanæ sororis, quo utitur Ovidius, cuius historiam refert D. Josephus de Retes ubi supra. Et hodie exulem non posse sepeliri in Ecclesia suæ patriæ, docent Samuelius in praxi de sepult. tract. 2. disp. 1. contr. 6. conclus. 15. Murga tom. 2. disquisit. mor. disquisit. 24. Rectè ergo in presenti deciditur, excommunicatum, qui relegato comparatur, Tertul. de præscrip. cap. 30. quare excommunicationem exilium finitimum dixit Alex. I. epist. 1. apud Turr. lib. 1. contra Magdeburg. cap. 7. ut D. Nicolaus Anton. dicto lib. 1. cap. 7. num. 11. & cap. 13. nu. 14. Illustr. D. Franc. Ramos in syntagmate pro Episcop. Lusit. proposit. 3. num. 97. non esse intra Ecclesiam sepeliendum. Exemplis aliarum religionum hoc etiam illustrat Spondanus, de cæmeteris lib. 2. cap. 1. facit mos Gentilium, apud quos quemcumque iratus Jupiter vindicasset, fulmineque percussisset, ut Diis invisum, insepultus projiciebatur. Virgilius lib. 2. Æneid.

*Impridem invisus Divis, & inutilis annos  
Demoror, ex quo me Divum pater, atque hominum  
Rex  
Fulminis afflavit ventis, & contegit igne.*

Immo et si excommunicatus defunctus intra Ecclesiam sepeliatur, debet exhumari, tanquam injustè sepultus, ut contigit aliis, quibus jus sepulturæ denegatur, ut de quodam proscripto Senatus censuit apud Livium lib. 48. ad finem, ibi: *Senatus ossa eius monitu Pontificum, tanquam loco sacro non rite posita, inde removit, quamvis & ante, & post multos eodem loco sepelirent.* Inde apud Lampridium in Commodo, illæ Senatus conclamationes: *Innocentes sepulti non*

*sunt, parricide cadaver extrahatur.* Apud Quintilianum declamat. 299. extat declamatio sub hoc titulo: *Ossa eruta parricide.* Quam exhumationis præxim, tam apud Gentiles, quam Catholicos receptam, latè illustrat Spondanus de cæmeteris lib. 3. p. 1. cap. 4. cum sequent. Sed si cadavera excommunicati ab aliis fidelium discerni non possint, exhumari non debent, propter confusionem, cujus ratione plura permittuntur, quæ aliàs prohiberentur, cap. cum tu, de usuris, c. significasti, de homicid. cap. si duobus, de appellat. cap. quam magnum 23. q. 4. cap. cum sit, de Judæis, cap. cum omnibus, 81. dist.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; licet enim regulariter crimina morte extinguantur, tamen pœna semel pro eis imposta durat etiam post mortem, dicta l. 2. ff. de cadaver. punit. unde cum excommunicatio inflicta est in vita ipsius delinquentis, comitatur ipsum, & durat donec reconcilietur Ecclesiæ, præcipuè cum excommunicatio liget animam, quæ immortalis est, non verò corpus: unde etiam post mortem potest durare; an vero possit & noviter imponi, dicemus in cap. de heretic. Nec obstat, deesse hoc casu rationem pœnæ; nam in privatione sepulturæ, licet desit emendatio peccatoris, adest tamen exemplum, seu terror aliorum, qui dum vident decedentes in excommunicatione ab Ecclesiæ sepultura reijci, & omnibus suffragiis privati, arcubentur à delictis, quæ habent excommunicationem annexam; & si forsitan in eam incidant, reconciliationem antemortem efflagitant. Nec obstat augmentum primum ipsius difficultatis, quo moti Lutherani, Calvinistæ, & alii Novatores, existimabant, ob heresim neminem privandum esse jure sepulturæ ecclesiasticæ; quos doctè refellit Spondanus in suo perdocto tractatu de cæmeteris sacris, quem huius erroris refellendi occasione, magnâ eruditione plenum in lucem edidit; is enim lib. 4. p. 3. cap. 1. ait, justè eos privari sepulchris majorum, nec amplius dici posse propria sepulchra; siquidem aut commercium, aut communio cum illis non est; quæ doctrina etiam ad excommunicatum sepulturam privandos, etiam in sepulchris majorum, satis propiè adaptatur. Nec obstat secundum augmentum ipsius difficultatis; quamvis enim reverè corpus defuncti non sit capax communionis spiritualis, quia tamen eundem hominem representat, & supponit in vivente fuisse jus ad sepulturam, quæ actio spiritualis est, tum propter divina officia, quæ in exequiis celebrantur, tum propter orationes, quas effundit Ecclesia; inde si non licuit orare cum vivo, quomodo cum eo defuncto licebit communicare? Quamvis enim non adsit anima, quæ tantum dici potest excommunicatione ligata, adest tamen corpus, quod hujusmodi anima vivificavit, vas, & organum salutariæ; per quod infelix anima scelera commisit, quæ excommunicationem meruerunt; corpus enim ipsam personam excommunicatam representat: unde justè Ecclesia decrevit cum eo communicandum non esse per sepulturam ecclesiasticam. Nec obstat augmentum hujus difficultatis ex casu leproforum deductum; nam licet Abbas Pannorm. in presenti textu existimaverit, leprosos non esse admittendos ad sepulturam cum aliis fidelibus, ideoque in cap. 2. de Ecclesiis adific. statuit, ut leprosi habeant sibi specialem Ecclesiam cum cæmeterio; tamen contrarium communiter docetur à repetentibus in presenti. Nec tunc obstat ratio ab Innocen-

tio hic adducta; nam causa prohibita communio cum leproso non est perpetua, sed temporalis, propter infirmitatem, quæ cessat per mortem; unde deficiente causâ prohibitionis, cessat prohibitio; causa enim est metus contagii, qui post mortem dari non potest; unde leprosi poterunt cum aliis fidelibus in Ecclesia sepeliri, nisi propter festorem, vel similem causam habeant cæmeterium proprium, quia tunc in eo debent sepeliri. Nec quod de furibus, raptoribus, & aliis dicebamus, obstat; nam cum illis prohibita non est communio in vita, propter spem penitentia, quæ cum desit post mortem, ideo illi publici peccatores, qui impenitentes decedunt, privantur sepultura Ecclesiastica. Nec obstat secunda difficultas supra expensa; nam principium illud juris procedit, quando defunctorum corpora sunt perpetua sepultura ritè, & rectè tradita; tunc enim facile non sunt exhumanda, & transferenda in alium locum: at verò cum injustè, & per violentiam sunt sepulta in loco alieno, & competenti, debent exhumari, & exteriùs projici, argumento textus in *l. is 7. ff. de relig.* unde cum in præsentî casu corpora excommunicatorum fuissent sepulta in Ecclesia per violentiam propinquorum, & ita injustè, & in loco illis non competente; ideo jubentur exhumari, & extra Ecclesiam projici. Nec argumentum deductum ex casu fidelis sepulti tempore interdicti aliquid facit; nam nullibi legitur statutum, ut tempore interdicti sepultus exhumetur, nec id provenit ex natura interdicti; unde cum pœnæ sint restringendæ, ideo pœna in præsentî non est protrahenda ad fideles sepultos tempore interdicti, ut docet Gibalinus de *cenfur. disquis. 2. 1. p. in fine.*

8. *Exponitur cap. nobis 28. de sent. excom. de sent. cum.*  
Sed superiori assertioni obstat textus in *cap. à nobis 28. de sent. excom.* ubi proponitur, Petrum excommunicatum, per aliquod tempus signis penitentia datis, sed ante absolutionem decessisse, quaesitum fuit, an sepeliendus esset in Ecclesia, & pro eo orandum esset? Cum quaestioni Innocentius III. respondit, illi succurrendum esse per absolutionis beneficium, sepeliendumque cum esse intra Ecclesiam, quia quoad Deum fuit absolutus, licet quoad homines excommunicatus decessisset. Ex quo textu aperte deducitur, decedentem in excommunicatione, cum quo in vita non communicabamus, sepeliri posse intra Ecclesiam, & per consequens cum ipso in morte communicari posse. Cui difficultati ut satisfaciat Barbosa in *capite ad hoc 5. de privil.* discrimen agnoscit inter excommunicatum decedentem datis penitentia signis, iam sepultum; & adhuc sepulture non traditum: primo casu non exhumandum, sed absolvendum esse affirmat; secundo verò casu non esse sepeliendum intra Ecclesiam. Sed hæc solutio aperte convincitur ex eo, nam si ille excommunicatus, quia penitentia signa dedit, non est exhumandus; quare etiam non est sepeliendus, cum eadem ratio militet in uno casu, ac in alio. Quare hæc solutio omnia verius dicendum est, præsentis textus decisionem non habere locum, cum excommunicatus absolutus fuit, vel in ipso mortis articulo, vel post mortem, quia dedit signa contritionis; excommunicatio enim, sicut alia quælibet censura, tamdiu confert suum effectum, quamdiu manet; tamdiu verò durat, quamdiu

non tollitur per absolutionem, quæ potest impartiri vel in ipso mortis articulo, *cap. final. hoc rit. vel post mortem, ante, vel post humationem.* Gibalin. de *cenfur. pag. 1. disquis. 4. quest. 9. corol. 5.* Igitur cum excommunicatus, qui signa penitentia in vita dedit, possit absolvi etiam post mortem, rectè in *dict. cap. à nobis*, docetur, ejus corpus posse in Ecclesia sepeliri, quia talis absolutio retrahitur ad tempus, in quo dedit signa penitentia, & per eam declaratur decessisse absolutum, atque intra gremium Ecclesie: quare cum possint alii fideles cum eo in vita communicare, quid mirum, ut etiam post mortem per sepulturam cum eo communicetur? Et excommunicatum in foro interno absolutum, non verò externo, posse sepeliri in Ecclesia, probat Araujo *rit. 3. quest. 31.*

9. *Exponitur Clement. 1. hoc rit.*  
Secundo supra traditis obstat textus in *Clement. 1. hoc rit.* ubi traditur, eos, qui propria temeritatis audaciâ in cæmeteriis publicè excommunicatos, aut nominatim interdictos sepelierunt, ipso facto excommunicationis sententiam incurere. Ex quo textu expressè deducitur, excommunicatos occultos impunè posse in Ecclesia sepeliri: ergo licet saltem occultos excommunicatos ad sepulturam admittere. Pro cuius textus expositione sciendum est, præsentis textus temporibus nullum excommunicatum majori excommunicatione (licet absque ratione ad excommunicatos minori excommunicatione idem protrahat Glossa in *dict. Clement. 1.*) posse in Ecclesia sepeliri, & sepultum esse exhumandum; quod restrictum fuit per PP. Concilii Viennensis in *dict. Clement. 1.* ad publicè excommunicatos; ac tandem per Joannem XXII. in *Extravag. ad evitanda*, ad denunciatos, vel notorios clerici percussores. Cum enim tantum cum eis prohibita sit fidelibus in vita communicatio, ita etiam & in morte cum illis tantum inhibita censetur, ut docent Gutierrez *lib. 1. canonic. part. 1. num. 30.* Suarez de *cenfur. disput. 12. sect. 4. num. 5.* Ricciulus de *jure person. lib. 4. cap. 60. num. 45.* Layman, Villalobos, & alii, quos sequitur Gibalinus de *cenfur. 2. part. disquis. 7. quest. 2.* Unde cum temporibus Innocentii III. cum omnibus excommunicatis, denunciatis, sive non, communicatio fidelibus esset prohibita, ideo nullâ adhibitâ distinctione illis denegatur Ecclesiastica sepultura.

10. *Intelligitur cap. 2. de sacram. non iter.*  
Tertio obstat textus in *cap. 2. de sacram. non iter.* ubi cum tempore cujusdam schismatis, (cujus historiam ibi retuli) nonnulli defuncti ab ipsis schismaticis fuissent in Ecclesia sepulti, & quidam clerici similiter schismatici, & degradati celebrarent Missæ sacrificium in ipsa Ecclesia, & cum ornamentis Catholicorum, quaesitum fuit ab Honorio III. an defuncti essent exhumandi altariaque denuò consecranda, & ornamenta benedicenda? Et respondet Pontifex, nec corpora esse exhumanda, nec altaria reconcilianda, aut vestimenta benedicenda. Ex quo textu ita conficior argumentum: Schismatici sunt extra communionem Ecclesie. D. Ambrosius *lib. 7. in Lucam, cap. 11. ibi: Omnes hæreticos, & schismaticos a regno Dei, & ab Ecclesia intelligi separatos*; & ideo non Dei, sed imundi spiritus omnes schismaticorum, & hæreticorum esse conventus, docuit D. Hieronymus ad *epistolam D. Pauli ad Titum, cap. 3. ibi: Inter schisma, & hæresin hoc interesse, quod hæresis pervertit.*

*peruersum dogma habeat, schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet. D. Augustinus de fide & symbolo, cap. 10. ibi: Quapropter me hereticus pertinet ad Ecclesiam Catholicam, qua diligit Deum, nec schismaticus, quia diligit proximum. Expressius Fulgentius de fide ad Petrum, cap. 38. ibi: Non solum omnes Paganos, sed etiam omnes Iudeos, hereticos, & schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam sumunt vitam, in ignem aeternum iuros. Plura Spondanus de Cemeteryis parte. 1. libro 4. capite 2. & libro 1. part. 4. capite 4. Sed isti semel sepulti non exhumantur: igitur nec excom-*

*municati exhumari debent. Cui difficultati respondendum est dicendo, in eo textu defunctos sepultos; non fuisse excommunicatos, vel schismaticos, sed fideles laicos, qui fuerunt sepulti ab ipsis schismaticis; unde dubitabatur, an defuncti sepulti essent exhumandi, non quia ipsi schismatici decesserant; sed quia tempore schismatis, & ab schismaticis fuerant sepulti; quo casu recte ait Honorius, eos exhumandos non esse, quia cum eis communicabatur in vita; unde tanquam ritè, & rectè sepulti, non debent exhumari. Dicemus in cap. consuevit, de consecr. Ecclesie.*

## CAPUT XIII.

## Honorius III. (a) Magalonenſi Episcopo

**A** Bolendæ consuetudinis, nec non abominabilis corruptelæ apud Montem Pessulanum vitium, sicut dicitur, inolevit, ut videlicet decedentibus non prius permitatur effodi sepultura, quam pro terra, in qua sepeliendi sunt, certum pretium Ecclesiæ persolvatur. Quia igitur id longè est à regula pietatis, & ab Ecclesiæ honestate, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus cum loci diocesanus existas, inhibeas clericis, ne quidquam omnino præsumant exigere hac de causa: injungens laicis, ut laudabilem consuetudinem erga Dei Ecclesiam piâ devotione fidelium introductam obseruent, ne fermento hæreticæ pravitatis illam corrumpere videantur sub prætextu Ecclesiasticæ puritatis.

## NOTÆ.

(a) **M**agalonenſi. ] Textus iste in hac Raymondii mundi collectione tribuitur Innocentio III. sed male, cum non reperitur inter epistolas ipsius Pontificis, nec in tertia aut quarta collectione: extat verò in quinta compilatione Honorii III. sub hoc tit. cap. unic. unde restituenda est ita inscriptio: *Honorius III. Magalonenſi Episcopo.* Magalonenſis civitas est Provincia Narbonensis in Gallia, in insula maris mediterranei posita, in ditone Arecomitorum, olim Episcopali Cathedrâ decorata, sed postea ob barbaricas incursiones penitus desolata, unde Cathedra Episcopalis translata fuit in Substantionem, demum in montem Pessulanum à Paulo III. anno 1536. qui mons distat à mari mediterraneo decem milliariibus, & temporibus Honorii III. erat in diocesi Magalonenſi, ut constat ex hoc textu, ibi: *Cum loci diocesanus existat.* Scribit autem in præfenti Honorius Bernardo, qui tunc in Ecclesia Magalonenſi florebat, de quo plura fratres Sarmat. *com. 3. Gal. Christ. fol. 1.*

*baptismo, & sepulturis nihil unquam exigatur. Innocentius II. in Synodo Romana, can. 8. ibi: Præcipimus, ut pro christiatis, olei sacri, & sepultura acceptione nullum venditionis pretium exigatur. Concil. Meldense can. 72. Metense can. 2. ibi: Et pro sepultura nullum pretium detur. Biterrense, can. 2. ibi: Nullus pretium pro sepultura accipiat. Turon. can. 6. relatum post Concil. Lateran. p. 2. cap. 10. ibi: Pro sepultura nulla cuiuspiam pretii exactio intercedat. Rhemenſe sub Eugenio can. 10. Triburiense can. 16. In Capitul. Caroli can. 21. ita cavetur: Sepultura gratis concedenda, nec muneris quicquam pro ea accipiendam. In Capitul. Heraldii Turonenſis ad annum 856. cap. 77. ita legitur: De venditionibus sepulchrorum, & de his, qui pro sepultura munera exigunt, ut severiter puniantur: & distringantur. Concil. Lateran. sub Innocentio III. Ratisbonense si b Laurentio Cardinali, can. 5. & 6. D. Hieronymus 99. in Genesim cap. 23. & in constitutionibus Riculphi Sueſſion. Episcopi, que extant ad calcem operum Hinemari, cap. 18. ibi: Sepulchras mortuorum ecclesiasticâ honestate, & pietate minusque presbyter disponat, & ne pro sepelendis mortuis gena exquirat. Illustrant ultra congestos in præfenti à Barbosa, Suarez de relig. rom. 2. tract. 2. lib. 4. cap. 4. Jul. Lavorus tit. 2. lucubr. cap. 10. ex mem. 2. pluribus relatis Diana p. 2. resol. tract. 1. resol. 57. Antonius August. in epit. jur. lib. 26. tit. 13. Fridericus Lindembrog. in glossar. legum antiq. verbo Sepultura pretium. Le-maitre lib. 1. de jurib. Episcop. cap. ult. Mancinus sacri juris controver. dissert. 29. & 30. & de triplici juris collat. cap. 32. P. Gregorius lib. 1. partit. titul. 17. cap. 5. Chopinus lib. 2. sacri. pol. titul. 7. n. 19. Vicecomes de rubus Miſſa volum. 2. lib. 4. cap. 21. Spondanus de cemet. lib. 1. p. 2. cap. 9. num. 3. Balduinus ad novel. 43. Justin. Barbosa lib. 2.*

## COMMENTARIUM.

2. **E**X hoc textu communiter deducitur sequens assertio: *Pro sepultura in Ecclesia præstanda pretium exigere non debet.* Probant eam textus in cap. quæſta 12. cap. postquam 13. cap. in Ecclesiastico 14. cap. præcipiendum 15. 13. quæſt. 2. cap. plerique 7. de pactis, cap. ad Apostolicam, cap. suam, cap. dilectos, de simon. D. Gregorius lib. 7. epistol. 4. indict. 1. epistol. 56. indict. 2. Urbanus II. in Concilio Claramont. can. 8. ibi: *Nullus demceps pro sepultura pretium exigat.* Et in Concilio Placent. can. 14. ibi: *Præcipimus, ut pro christiatis. &*



lib. 2. juris Eccles. cap. 3. num. 27. Binsfeldius in dict. cap. ad nostram, de simon. Benedictus Pererius in Genesim. cap. 13. distut. 1. num. 13.

3. *impugnatur predicta assertio.*  
Sed hæc assertio difficilis valde videtur; si quidem omni in religione, Hæbraica videlicet, Gentilicæ & Catholica, pretium pro sepultura justè peti, & recipi legimus. De Hæbrais constat ex factò Abrahami, quod refertur Genesim. cap. 17. ubi traditur Abrahamum jus sepultura sibi pretio comparasse ab Ephron, ipsumque quasi violenter coëgisse sepulchram sibi vendere; nam cum Ephron illi gratis, & liberaliter sepulchram, aut locum inter sepulchra propria concederet, Abraham diligenter curavit, ut pretio accepto locus purus ad sepulchram sibi venderetur: unde deducitur, apud Hæbraeos receptum fuisse, pro loco sepulturae pretium recipere. De Gentilibus id facilius probatur, siquidem Romani, qui in sepulchris, & locis ad sepulchram destinatis religionem agnoscebant, non improbant pretium recipi pro ipsa sepultura, l. funeris 37. ibi: *Pretium pro sepultura, ff. de relig. & locum jam religiosum vendere sinebant, l. Quintus, §. Pomponius, ff. de annis legat. l. si vero 12. §. final. ff. mandati, l. si heres, ff. de condit. caus. dat. l. libero, §. liberi, ff. de negot. gest. l. cum in testamento 202. ff. de V. S. l. §. si quis, §. hac actio, & §. plerique, ff. de relig. l. quibus, §. final. ff. de condit. & demonstr. in quibus agitur de pecunia data ad emptionem sepulturae: & ex tali pecunia pro emenda terra ad sepulchram, vicefimam non deberi, docetur in l. funeris 37. ff. de religiosis. Expressius venditionem loci religiosi subhittere probatur ex l. §. liberi, ff. de contrab. emptio. ubi qui ignorans emit locum, ubi cadaver illatum erat, illum acquirit; & ex illa satis usitata clausula in sepulchris apposita, quæ cavebatur, ne ipsa venderentur, aut alio modo alienarentur, ut constat ex epitaphiis transcriptis à Guthero de jure manuum lib. 4. fol. 409. Nec credi potest, tam diligenter testatores venditionem sepulchrorum inhibuisse, si jure ipso communi satis esset interdicta. Tandem apud Catholicos pretium pro sepultura exigi, usus quotidianus demonstrat; siquidem passim videmus Ecclesiam locum ad capellam, vel sepulchrum familiare construendum vendere, nec injustè, ne Ecclesia, sicut quilibet alius privatus, cogatur de suo facere beneficium, cap. precarie 10. quest. 2. ergo non recedè in presenti docetur pro sepultura pretium recipi non posse.*

4. *De sepulchris & locis religiosis.*  
Quæ dubitandi ratione non obitante vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, sepulchram tripliciter sumi posse. Primò pro officio, quod impenditur corporibus humanis cap. dictum 1. quest. 1. de quo agemus in cap. suam, cap. ad Apostolicam, de simon. Secundo pro jure sepeliendi, seu assignandi locum in Ecclesia, quod competit Episcopo, & Parocho. Tertiò pro loco, in quo quis sepelitur, terraque in qua humatur, de qua in præsentì textu agitur, ibi: *Non prius permittatur effodi sepultura, quam pro terra, &c.* Ipse locus sepulturae à Consultis aliquando appellatur purus, cum adhuc cadaver in eo humatum non est, l. 1. §. purus, ff. de relig. l. locum, C. eodem titul. Docent Julius Lavorus dict. tit. 2. Incubr. cap. 7. Ballamon in nomocan. Plocis, tit. 4. Locus verò religiosus in jure civili dicitur is, in quo cadaver humanum

illatum est, l. in tantum 6. §. religiosum, ff. de verum divisi. l. cum loca, l. eum in diversis, ff. de relig. §. religiosum, Insti. de R. D. Unde apud Romanos unusquisque locum religiosum faciebat mortuum inferendo in loco proprio, vel in alieno, consentiente domino, l. cum loca, l. si quis eo, ff. de relig. plura Oswaldus lib. 4. Donel. cap. 1. Institutarii in dict. §. religiosum: non verò si invito domino in alieno loco quis mortuum inferat, ideo hæres locum non facit religiosum, mortuum inferendo in fundo legato, l. si locus 34. ff. de religiosis. Tunc autem religio loci incipiebat, cum gleba injiciebatur solutis justis ter à sacerdote; & tunc, ut ait Cicero lib. 2. de legibus, & corpus humatum dicebatur, & sepulchrum vocabatur: facit Varro lib. 4. de lingua Latina, si ea mente cadaver illatum sit, ut ibi maneat perpetuo repositum, non si commendatum ad tempus, ut postea aliò transferatur, l. si quis 40. ff. l. nec dum 10. C. de religiosis, l. 3. §. non perpetuo 4. de sepulchro violat. & in hac parte observandi sunt textus in l. ultim. ut in possess. legat. l. 3. §. in locis, ff. de jure fisci, l. 28. ff. communi divid. l. 4. §. non sit, ff. ad leg. jul. pecul. l. ultim. ff. de mortuo inferendi, l. 5. §. 12. ff. de donat. inter. l. servitutes, §. servitus, ff. de servit. l. 73. §. 1. ff. de contrab. emptio. l. penult. ff. de pactis, l. quod si locus, ff. de religiosis, l. 5. §. si libidinaris, ff. de insti. act. l. 1. §. Et alius 15. ff. si quid in fraud. patron. l. 30. ff. famul. ercisc. Non tamen totus fundus, in quo cadaver humatum est, religiosus fit, sed tantum illa pars fundi, quam occupat cadaver; reliqua vero pars manebat prophana, & in commercio, l. 2. §. sepulchrum 5. ff. de religiosis, l. si sepulchrum 4. l. locum 9. C. eod. tit. quæ dicuntur modica loca in l. hanc legem 22. l. in modicis 24. ff. de contrab. emptio. Igitur quamvis ampla pars terræ sepulchro esset destinata, ea sola censebatur religiosa, quatenus corpus humatum est; proindeque caverunt Romani, ne de terra frugibus apta, vivi, mortuive usurparent, ut ait Cicero lib. 2. de legibus, ibi: *Lex vetat ex agro cultis, eorum qui colit possit, ullam partem sumi sepulchro; sed qua agri natura tantummodo possit efficere, ut mortuorum corpora sine detrimento vivorum recipiat.* Nihilominus tamen aliquod laxamentum habuit religio, & pedes in fronte, pedes in agro designabantur; quod spatium occuparet sepulchrum, veluti decem pedes in fronte, idest in latitudine, viginti in agro, idest longitudine, ut exposuit vetus Horatii commentator ad lib. 1. satyr. 8. ad illum versum:

*Mille pedes in fronte, trecentum cippus in agrum.*

Post quem notavit Brillionius lib. 2. select. cap. 15. Gothofredus in dict. §. sepulchrum: idem ad leges XII. Tabul. cap. de religiosis, Oswaldus lib. 4. Donelli, cap. 1. litera H. Cujacius lib. 10. observ. cap. 37. Ant. Clarus ad leges XII. Tabul. capite ult. Ramirez de Prado in penitecont. cap. 17. Jure verò nostro canonico locus religiosus non fit corporis humatione, sed Episcopi consecratione, aut benedictione, vel cum locus sepulturae Christianorum destinatur, etiam si nemo ibi sepultus sit, cap. questui 2. cap. ad hæc, de relig. domib. immò etiam apud nos Catholicus sepulchrum sit in loco prophano, non ideo dicitur locus ille religiosus, aut sepultura Ecclesiastica, ut docent Gratianus p. 1. discept. cap. 110. Spondanus lib. 1. de camel. p. 1. cap. 9. & 10. pluribus relatis

Barbosa

Barbosa in dist. cap. ad hac: docent, & notant differentiam hanc inter utrumque jus, idem Barbosa in dist. cap. ad hac, num. 4. Gregorius in l. 1. glos. 3. titul. 13. part. 1. Molina lib. 1. de primog. cap. 24. num. 38. Joan. Gasias de expensis cap. 8. num. 51. Spino in speculo, glos. 2. num. 37. Spondanus de cameris libro 1. part. 1. capite 9. & 10.

5.  
De religione sepulchra, & ejus prohibitione in venditione.

Deinde sciendum est, etiam apud Gentiles sepulchra semper religiosam habitam fuisse; credebant enim hominum ibi sepulchrorum animas circa sepulchra aberrare, & nonnunquam in illis residere, quas Semonum, sive Semideorum esse autumabant. D. Augustinus lib. 9. de civit. Dei, cap. 11. Martianus Capella de nuptiis Philog. lib. 2. Apul. in lib. de Deo Socratis, in fine: & omnes gentes sepulchrorum religionem habuisse commendatissimam probant Gutherus de jure man. lib. 3. ferè per totum, Laetius Gyraldus de vario sepel. ritu, non procul ab initio, Guichardus de re funebri, lib. 1. cap. 8. & lib. 2. cap. 5. unde eorum violatores, tanquam sacrilegos puniri, tum apud Grecos, quam Romanos, fuscè probat Spondanus lib. 1. de cameris, 1. p. cap. 9. & sepulchrorum sanctitatem testantur Cicero lib. 2. de legibus, dum legem antiquam ita conceptam refert: *Deorum manium jura sancta sancto. Idem lib. 4. de repud. apud Nonium verbo Sanctitudo*; dixit sanctitudinem sepulchra jure Pontificio subsistere: & in Philipp. 9. sanctitatem sepulchrorum in ipso solo esse, quæ nulla vi moveri, nec deleri possit. Et Martialis lib. 9. epigr. 31. dixit: *Sanctam urnam*. Catullus carm. 7. ad Lesb. vocavit: *Sepulchra sacra*. Seneca ad Troadem, actus 3. sic: *Tumulum sacrum, & sacram sedem*. Quintilianus declamat. 10. ait: *Sacros morte lapides*; quia nimirum sepulchra Diis manibus data, dicataque, ab omni profano usu sunt sejuncta. Consulti frequentius sepulchra loca religiosa appellant, quia propter aliquam sanctitatem à commercio remota, relegataque sunt, ut ex Masurio Sabino refert Gellius lib. 4. cap. 9. & ex Servilio Sulpitio Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 3. & Ulpianus in l. 1. §. 6. dixit, interesse religionis monumenta extrui, exornarique; & in l. si spondam §. 8. concessa, ff. de donat. inter. donationem sepulchra causâ factam, religionis gratiâ valere. Gordianus Imperator in l. 1. C. de sepulchro violat. sepulchrorum violatores incidere in crimen læsæ religionis docuit. Unde licet loci puri venditio valeat, l. si locum, ff. de religiosis; sepulchri tamen venditionem jus religionis prohibet, l. 2. l. 9. C. de relig. Et Senatusconsulto etiam cautum fuit, ne locus sepulchrorum permutationibus polluat, id est ne loca religiosa alterius conversationis usum accipiant, l. si quis sepulchrum 12. §. 1. ff. de relig. & si locus religiosus pro puro vendatur. Pretor concedit in factum actionem ei, ad quem ea res pertinet, l. ossa, §. si locus, ff. de relig. & si quis contra hanc prohibitionem sepulchrum vendit, tam ipse, quam emptor incidunt in crimen læsæ religionis, l. sacrilegi 6. ff. ad leg. Jul. pecul. l. 3. ff. de sepulchro violat. l. 5. C. eod. tit. docent Fomerius lib. 1. selecti. cap. 13. Savarus ad Sidon lib. 2. epistol. 12. Nec modo sepulchra vendi prohibentur: verum etiam res, quæ ipsi insunt, aut conjunguntur. Audi Juliani impiissimi Imperatoris rescriptum in l. 5. C. de sepulchro violato, ibi: *Pergit audacia ad busta defunctorum, & aggeres consecra-*

*ros, cum & lapidem hinc movere, & terram sollicitare, & cespitem vellere, proximum sacrilegio majores semper habuerint; sed & ornamenta, quæ dant trichinis, aut porticibus, auferunt de sepulchris: quibus consules, ne in piaculum incidant contaminatâ religione bustorum, hoc fieri prohibemus, penâ manuum vindice cobibentes. Quem textum illustrat D. Joannes Suarez lib. 2. ad leg. Aquil. cap. 2. sect. 6. Jure etiam nostro Canonico, et si locus purus, non benedictus, nec cameteriatus vendi possit, capite aurum 12. quest. 2. tamen per benedictionem Episcopi religiosus effectus vendi nequit, ex hoc textu, & aliis supra citatis, immò illum vendens penis simoniaci punitur, cap. non satis, cum aliis, de simonia; latè probat Murga tom. 1. disquisit. mor. tract. 4. disquisit. 4.*

Quibus ita animadvertis apparet jam vera ratio præsentis decisionis, si enim apud Gentiles tanturpis quæstus perpetuo visus est, qui ex re sepulchrali colligitur, & commercium sepulchrorum infame existimatum, quid mirum, si Ecclesia repetitis sæpius sanctionibus, terræ, quæ corpus operitur, venditionem, & sepulchra mercimoniam interdixerit: Accedunt aliæ rationes hujus prohibitionis, videlicet quia terra illa concessa putredini non debet vendi, & de alieno luctu aliud quod facere compendium, ut ajebat Hincmarus Rhemenis in epist. ad Episcopos Tornacenses, & ex D. Gregorio referunt PP. Concilii Meldensis can. 72. ibi: *Nec pro loco sepulchra (ut verbis sancti Gregorii utamur) pretium de terra concessa putredini querere, & de alieno luctu velle facere compendium, aliquo modo quisquam tentet. Aliam rationem assignant PP. Concilii Triburiensis in cap. 14. 13. quest. 2. ibi: Nam si daretur pretium pro sepultura, auri sacra fames mortalium sacerdotum peccata cogeret fas omne abrumperere. & denegare sepulchram illis, qui pretium unde solverent, non haberent & eruerent, mercantibus sacerdotibus, de humana morte compendium. Unde Theodotius, dum jussit marmora excipiendis cadaveribus destinata leviori pretio distrahi, sic Danieli Marmorario rescribit apud Cassiodorum lib. 3. epist. 19. *Hinc quibusdam venient ad pretium dolores, & miserabili sorte votorum crescit de humana morte compendium; ita tamen, quod non sit iniquitas sub hac occasione cavari, ne cogantur miseri inter acerba luctuum grata plorare dispendia facultatum, & nefanda devotione restricti, aut urgentium patrimonium pro mortuis proderere, aut dilecta corpora vilissimis foreis potius dolentes abicere. Si modus in voluntate poscentium, quando ipsa miseratio pro ementibus facit. Justè ergo improbatum consuetudo montis Pessulani non sinendi effodere sepulchram, nisi pretio prius accepto, & rectè hujusmodi pecuniæ exactio damnatur. Apud Ciceronem etiam vetus est illa de Verre querela, quod parentes pretium pro sepultura liberorum in Sicilia poscerent. Accedit ratio ex supra traditis deducta; nam cum sepultura sit res religiosa, & per consequens divini juris, cap. quisquis 17. quest. 4. capite consulisti, de consecr. Eccles. & quæ religiosa sunt, & divini juris, non possunt vendi, nec pretio æstimari, quia extra commercium sunt, capite ratio, de præbend. cap. non satis, de simonia, §. nullius, Instit. de rerum divis. inde rectè statuitur in præsentis textu, ne pro sepultura pretium accipiatur, aut ipsa pretio æstimetur.**

Nec

7. Nec obstat prima difficultas deducta ex facto Abrahami, quod late exponunt D. Thomas 2. 2. *quest. 110. artic. 4. ad 3.* Pererius in *Genesim tom. 3. in cap. 27.* Sophranis de *funer. Hebraeorum, cap. 5.* Spondanus de *camer. sacr. part. 1. lib. 1. cap. 5.* Gibalinus de *simon. quest. 10. confect. 7.* ex quibus dicendum est, Abrahamum non emisse sepulchrum primò & principaliter, sed terram communem, & prophanam ad sepulchrum faciendum: nec in ea specie Abraham, & Ephron aliquid in religionem commiserunt. Nec obstat, quod D. Hieronymus observat in illud caput 23. Genesim, Ephronem post eam venditionem dictum fuisse Ephram, unde significabatur non fuisse virum consummatam virtutis. Nam ideo non deducitur, simoniam commisisse; sed quia à statu perfectionis descendit ad statum imperfectionis, ita appellatur. Primò enim voluit dare gratis, deinde pretio vendidit, & ita cum antea appellaretur Ephron, postea dictus fuit Ephram. Nec etiam solutionem traditam impugnat D. Gregorius relatus in *c. quest. 13. quest. 2.* ubi reprehendit Sanctus Doctor Januarius Sardinia Episcopus sepulchram vendentem, & illum objugat exemplo Ephronis, qui nolebat pretium ullum à sancto Patriarcha recipere. Vel ergo terra Ephronis erat sacra, seu religiosa, sicut illa, quam vendebat Januarius; vel non: si non erat, minus facit exemplum ad probandum quod Pontifex intendebat: si erat religiosa, vendi non poterat. Nam huic difficultati respondendum est, D. Gregorium in eo textu arguere à minori ad majus, comparando personam personæ, & locum loco, Ephronem videlicet Gentilem, Januario Episcopo Catholico; terram prophanam ab Ephrone venditam, loco jam sacro: & ita recte arguit Sanctus, quasi dicat: Ille Gentilis nolebat suscipere pretium pro terra prophana, ex eo tantum, quod Patriarcha illam destinaverat ad sepulchrum; tu Christianus, & Episcopus locum jam consecratum, & non tantum cogitatione, verum & caeremoniis Ecclesiasticis sepultura destinatum pretio vendis. Non ergo ex eo textu deducitur, Ephronem pretium accepisse pro sepulchro. Nec obstat secunda difficultas deducta ex variis juris civilis testimoniis, in quibus supponitur, sepulchri venditionem valere; nam licet eo jure attento sepulchrum, seu quisvis locus religiosus per se & principaliter vendi non possit, quia quæ extra commercium sunt, alienari non valent, ut late probant nostri Vespertini Antecessores in *l. inter 83. §. sacram. de V. O.* tamen per accessionem cum universitate bonorum fundo vendito, sepulchrum in emptorem transit, *l. in modicis 24. ff. de contrab. empt. l. si mercedem 53. §. 1. ff. de action. empti, l. 1. §. 1. ff. de fundo dotati, l. 1. §. 1. & alia 15. ff. si quid in fraud. patron. l. pater 38. §. Julius, ff. de legat. 3. l. quedam 62. ff. de acquir. dom. docent Donellus lib. 4. comment. cap. 6. & lib. 12. cap. 20. ubi Oswaldus litera G. Cujac. libro 6. respons. Modest. in *l. si fundus 30. ff. famil. ercisc. & lib. 3. respons. Papin. in l. ade 73. §. 1. ff. de contrab. emptione, Connanus lib. 7. comm. cap. 7. num. 4. Gutherus lib. 3. de jure manium, cap. 5. Solorzanas in *polit. lib. 2. cap. 18.* Quod adeo verum est, ut venditio fundo, ubi sepulchrum extat, nisi illud excipiatur, in emptorem transeat, *dict. l. si mercedem 53. §. 1. de action. empti* quo spectant leges illæ, quæ in venditionibus adjici so-**

lebant? *Si quid sacri, aut religiosi in fundo est, ejus nihil venit.* Quarum fit mentio in *l. hanc legem 22. l. pacta 72. §. ultim. l. ades 73. §. 1. ff. de contrab. empti.* & apud Brissonium *lib. 6. de formulis.* Nec obstat quod dicebamus de cautionibus in ipsis sepulchris adjectis, ne alienarentur; nam duplici modo responderi potest. Primò asserendo, clausulam illam adjici, ne sepulchrum possit per se, aut simul cum fundo alienari; vel id specialiter caveri, quia cum jure civili emptor ignorans locum religiosum esse, haberet actionem ex empto adversus venditorem, *l. officii, §. qua, ff. de contrab. empti.* ne hæc ignorantia causa daretur, expressè in ipsis sepulchorum inscriptionibus cavebatur, ne sepulchrum illud, alienari posset. Nec tandem obstat quod dicebamus de quotidiano usu vendendi locum in Ecclesia pro Capella, seu sepultura construenda: nam licet verum sit, Ecclesiam non posse vendere locum sepultura; tamen pro honoratiori loco pretium recipi potest, quod cedat ad sumptus fabricæ, & ministrorum sustentationem; quia tunc pretium non exigitur pro solo sacro omnino necessario ad sepulchrum live pro jure sepultura Ecclesiasticæ, quatenus spirituale est, & gratis debitum Christianis omnibus; sed pretium est dignioris & honoratioris loci in Ecclesia, jurisque veluti proprietatis ad eum locum, quatenus temporale utcumque est, nec gratis cuiquam laico debitum, ut docent plures relati à Barbosa *hic, Dian. pag. 2. tract. 15. resol. 57. Frances. de Eccles. Carbed. c. 16. num. 89. Suarez de relig. tom. 3. de simon. lib. 4. cap. 14. ex num. 7. Garcia de benef. 5. p. cap. 9. num. 136. Lara de annivers. lib. 1. cap. 15. num. 17. Gutierrez 2. ca. omic. quest. 21. num. 148. Gratianus discept. cap. 110. & cap. 210.* quia eo honore attenditur dumtaxat aliquid humanum, & non sacrum; & etiam si remotè honor ille ex aliqua conjunctione cum re sacra derivetur, non tamen ex venditione talis loci dicitur vendi ejus sanctitas. Unde etiam poterit Ecclesia vendere jus, ut quis, ejusque familia tantum in certo sepulchro sepeliatur, non autem ullus alius, ut docent Suarez *dict. lib. 2. de simon. cap. 4. Layman. lib. 4. tract. 10. cap. ultim. Binsfeldius in cap. 41. de simon. quest. 1.* quia onus illud incumbens clericis non admittendi alium in eo loco, est pretio æstimabile, nec sacrum, sed temporale dumtaxat, accidenti rido connexum cum spirituali. Potest etiam à privato vendi sepulchrum, quod propriâ pecuniâ, expensisque construxit, vel comparavit, quia non distrahitur religiositas loci, aut Episcopi benedictio, sed materialis rei valor, aut sumptus unâ cum jure sepeliendi, quod non est religiosum, ut docuit cum sapientissimis Soto, & Suarez Barbosa *ubi proxime, num. 7. Ignatius Laffarte de decima benedictionis, cap. 14. num. 5.* Quod si ita esset, prout esse existimo, & res, quæ venit, est merè prophana; ut fundat P. Suarez, consequitur venditorem gabellam debere, si laicus est, quia nulla est ratio, existente venditione, quare non solvatur. Tamen contraria sententia placet, ne ex venditione juris sepultura gabella debeatur, cum jure civili vicelima non deberetur ex pretio dato pro loco sepultura, *dict. l. funeris 37.* & ex aliis rationibus defendunt Parladorius *lib. 1. rer. quotid. cap. 3. §. 3. num. 35. Gutierrez lib. 2. de gabel. cap. 9. à num. 36.* & palinodiam veluti recantans Laffarte *ubi supra.*

8. Exponitur cap. secundum 24. 23. q. 8.

Sed superiori assertioni obstat textus in can. 63. Concilii Meldensis, relato in cap. 2. 23. quest. 8. in illis verbis: *Nullus de agro Ecclesiastico, & manso, ac mancipis, vel si quilibet pro loco sepultura aliquid largius Ecclesie fuerit, neque de decimis, & oblationibus fidelium quemquam presbyterum aliquem censum persolvere cogat.* Ex quibus aperte deducitur, aliquid pro loco sepultura recipi posse. Cui difficultati respondendum est dicendo, quod licet in presenti textu, & aliis canonibus supra relatis, prohibeatur aliquid exigere pro terra ipsius sepultura; non tamen prohibetur sponte oblatum à defuncti hæredibus, vel consanguineis recipere, capite abhorrenda, cap. precipiendum 13. quest. 2. Concil. Bituric. can. 12. ibi: *Nullus pretium pro sepultura accipiat, nisi quod fideles sponte dare, vel offerre voluerint.* Docet Jul. Lavorus dict. tit. 2. cap. 10. num. 7. unde cum in dict. can. Meldensis agatur de eo, quod gratis pro loco sepultura datum est, ut constat ex verbo illo *largius*, quod plenam denotat donationem, ideo supponitur à Patribus, illud sepulturae causâ recipi posse, nec ex rebus ita donatis teneri presbyterum aliquem censum persolvere, sicut nec ex manso, & decimis Ecclesie, juxta adducenda in cap. 1. de censibus: quo modo etiam intelligendus est textus in can. 2. Concilii Metensis, in illis verbis: *De uno manso, & de terris pro sepultura datis, & pro quatuor mancipis, vel eorum procreatione, nullus deinceps census exigatur, & pro sepultura nullum pretium detur.* Ut pretium videlicet, tanquam exactum, non verò gratuitò oblatum, & liberaliter donatum. Et hodie quamvis Parochi sepulturam vendere non possint, tamen subsidii gratiâ, & elemosinâ titulo aliquid accipere possunt pro loco sepultura, plus minusve, prout est honoratior, & dignior, ut consuetudine generali receptum est, in sacraque Rota admillum referunt Garcia 5. p. de benef. c. 9. n. 117. Diana p. 1. tract. 15. resol. 57. licet similes pactiones periculosas esse agnoscant Molina de primog. lib. 1. cap. 24. num. 40. Guierrez de Gabellis, quest. 9. num. 26. qui rectè docet, ex similibus pactiõibus gabellam non deberi, quia non sustinentur ut emptiones.

9. Exponitur cap. ad Apostolicam de simonia.

Secundò presenti assertioni obstat textus in cap. ad Apostolicam, de simonia, ubi cum proponeretur Alexandro III. quosdam sacerdotes pro exequiis, & sepultura defunctorum, nec non pro benedictionibus nubentium pecuniam exigere, Pontifex hoc de cætero fieri prohibuit, jussitque, ut si consuetudine introductum sit, ut aliquid pro sepultura, seu benedictionibus nubentium detur, talem consuetudinem esse servandam, & laicos non debere excusari ab ejus præstatione, immò similes consuetudines ab omnibus observandas esse. Ex quo textu expressè deducitur, quod quamvis non possit jure ordinario aliquid exigi pro exequiis mortuorum, tamen si consuetudine contrarium sit introductum, eam esse observandam. Igitur non rectè in præ-

senti improbatum consuetudo exigendi pretium pro sepultura. Pro cuius textus expositione, omisâ quaestione, utrum consuetudine introduci possit ut pro Sacramentis, seu divinis Officiis celebrandis pretium exigatur? quam disputant Sahagun in cap. final. de consuet. num. 133. Hallierius de sacris elect. sect. 7. artic. 4. Chopinus de sacra polit. lib. 2. tit. 7. num. 19. Luna & Arellanus in antinom. lib. 5. antinom. 3. dicendum est, in presenti textu non improbari ab Honorio consuetudinem, quâ introductum erat, ut ratione elemosinâ, & gratiò aliquid daretur pro loco sepultura, ex pia fidelium devotione, quâ rectè approbatur in dict. cap. ad Apostolicam, sed ea consuetudo in presenti damnatur, improbatumque, juxta quam Parochi pretium exigebant, extorquebantque à parochianis inivitis pro terra ipsius sepultura; quâ consuetudo ut simoniaca merito improbatum ab Honorio: si autem ex pietate aliquid gratis offerretur, talis pia, & laudabilis consuetudo admittenda, & observanda erat, juxta textum in dict. cap. ad Apostolicam, ut apud Angelos tempore effossi sepulchri pecuniam præstari constat ex Concilio Enhamensi temporibus Joan. Papæ XVII. & Henrici II. celebrati. can. 13. *Luminarium census ter quorannis penditur, sed æquissimum est, ut anima, solum (quam pecuniam sepulchralem nunc vocant) semper dependatur, cum sepulchrum sit effossum.*

Tertiò superiori assertioni obstat textus in cap. 10. aurum 70. 12. quest. 2. ubi D. Ambrosius inter alias causas, quas recenset, ob quas vasa Ecclesie, & alia bona possunt alienari, refert illam, ut emantur sepultura, & spatia laxata humanis fidelibus disponantur, ibi: *Nemo potest indignari, quia humanis fidelium reliquis spatia laxata sunt.* Igitur si licet vasa Ecclesie distrahere, ut inde sepulchra emantur, prohibitum non est pretium accipere pro loco sepulturae ut in presenti docetur. Pro cuius textus expositione dicendum est, D. Ambrosium in eo principaliter agere, quibus ex causis res sacra alienari possint: licet enim talis alienatio utroque jure prohibita sit, cap. non liceat 12. quest. 2. l. sancimus 21. C. de sacros. Eccles. probavi latè in cap. nulli, de rebus Ecclesie: tamen certis in causis permittitur, dum tamen sacra vasa prius consententur, & ad malam redigantur, ne illis sub sacra forma prophani homines ad prophanos usus abutantur, ut docent Gothofredus in dict. l. sancimus, Covar. lib. 2. variar. cap. 16. num. 8. politè, sed minùs piè differens Grotius de jure belli, lib. 3. cap. 5. §. 2. cum autem inter alias causas enumerat D. Ambrosius emptionem loci ad sepulturam, accipiendus est cum locus, qui alienatur, purus, & prophanus est, & emitur ad laxandum, & ampliandum Ecclesie cæmeterium pro humanis fidelium corporibus; quo casu alienatio licita est, cum adhuc locus religiosus non sit, nec benedictione Episcopi sacratum.

## CAPUT IV.

Gregorius IX. (a) Episcopo N.

**P**arocho (b) tuo, qui excommunicatus pro manifestis excessibus, videlicet homicidio, (c) incendio, violenta manu (d) iniectione in personas Ecclesiasticas, Ecclesiarum violatione, vel incestu fuit, dum ageret in extremis, per presbyterum suum juxta (e) formam Ecclesie absolutus, non debent cimiterium & alia Ecclesie (f) suffragia denegari, sed ejus haeres, & propinqui, ad quos bona pervenerunt ipsius, ut pro eodem satisfaciant, censuram sunt ecclesiasticam compellendi.

## NOTÆ.

(a) **Episcopo N.** ] Cùm his epistolis Gregorii IX. careamus, non possumus inscriptionem veram restituere, agnoscereque cui Episcopo in earescribat Gregorius.

(b) **Parochianos.** ] Episcopi subditos diocesanos appellari parochianos, & diocesim ipsam, parochiam, jam notavimus in capite 2. de pecul. cleric.

(c) **Incendio.** ] De quo delicto agemus in capite tua nos, de sentent. excommunicationis, capite 6. de raptor.

(d) **Manuum iniectione.** ] De hac canonis censura egi in cap. sacris. de his que vi.

(e) **Formam.** ] Prescriptam in capite ex tenore, capite cum desideres, de sententia excommunicationis.

(f) **Ecclesie suffragia.** ] Quae accessoria sunt, seu comitantur ipsam sepulturam, ut notavi in cap. sacris, hoc titul. & latius dicam in capite 2. de raptor.

## COMMENTARIUM.

**E**X hoc textu sequens communiter deducitur assertio: Excommunicatus pro homicidio, incendio, vel simili delicto, in extremis poenitentiam petens, & absolutus a presbytero, sepeliri potest cum psalmis in cimiterio ecclesiastico; haeres tamen ejus damnata ab ipso resarcire coguntur, pro eisque satisfacere. Probant eam textus in capite ad Apostolicam 20. de jurejur. capite in literis, de raptor. capite unic. hoc titul. in 4. collect. Innocentii III. lib. 2. regestr. 14. epistol. 74. & lib. 4. regestr. 16. epistol. 49. ibi: [Oblata nobis M. mulieris petitio continebat, quod cum olim S. frater suus una cum quibusdam aliis morti cujusdam interfuisset presbyteri, diabolo suadente, tandem reversus ad cor, humiliter suum recognovit excessum, & paratus ut iter arriperet ad Sedem Apostolicam veniendi, praeveniens mortis articulo exequi non potuit quod intendit, juramento tamen promiserat, quod nostris stare super excessu sepe dicto mandatis. Unde nobis dicta mulier supplicavit, ut cum illum non religionis contemptus, sed necessitatis articulus impederet, quominus ad Sedem accesserit Apostolicam absolvendus, super absolutione, ac sepultura ipsius dignemur misericorditer providere. Quia verò sic ut in contumacia persistentibus rigidus esse nos convenit, sic humilitatis ad poenitentiam negare gratiam Ecclesie non debemus. Discretionis vestrae per D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. II. Pars II.

Apostolica scripta mandamus, quatenus si praedictus S. dum adhuc viveret, satisfactionem condignam promisit, vel sufficiens de satisfactione mandatum, & alia manifesta in eo praecesserunt poenitentiae indicia, cum Psalmo poenitentiali, Oratione Dominica, & aliis consuetis, defuncto absolutionis beneficium impendatis, tradi facientes corpus ejus ecclesiasticae sepulturae, dummodo contra terrae consuetudinem ex hoc grave non debeat scandalum generari. Quod si non omnes, &c. duo vestrum, &c. Vos denique filii Abbates, &c. Datum Lateran. 3. Idus Maji, Pont. N. anno XVI. ] Illustrant ultra congestos in praesenti a Barbosa, Fachineus lib. 9. comment. cap. 5. Petrus Gregorius lib. 1. partit. titul. 17. cap. 7. Phœbo decis. 131. Joannes Sanchez in selectis, disput. 3.

Sed in praesentem assertionem, quae duplicem continet partem, duplici insurgo dubitandi ratione. Prima militat adversus priorem partem, ubi docetur, homicidam, incendiarium, seu publicum clerici percussorem, in extremis poenitentiam accipientem, sepeliri debere in sepultura ecclesiastica; nam atrocium delictorum patratore insepulti remanent, quia illis denegatur omni jure sepultura, ut probavi supra in cap. sacris. Nec interest, quod poenitentiam petierint, si pro suis sceleribus puniuntur. Concil. Brachati. 1. can. 34. ibi: Placuit de his, qui pro suis sceleribus puniuntur, ut nulla pro illis oblatione commemoratio fiat, nec cum psalmis ad sepulturam deducantur eorum cadavera. Refertur in cap. placuit, 23. quest. 5. Igitur etsi homicidam, incestuosum, incendiarium in extremis poenitentiam efflagitaverint, & acceperint, non ideo debent eorum cadavera admitti ad sepulturam ecclesiasticam. Secunda difficultas militat adversus eam partem, in qua docetur, haeres teneri satisfacere pro clamis ab eorum auctoribus illatis; nam licet haeres teneantur creditoribus hereditariis, ex contractibus, vel quasi a defunctis celebratis, non tamen ex eorum delictis tenentur, l. unic. C. ut actiones ab heredibus, l. ex contractibus 49. ff. de O. & A. l. 24. Cod. locati. §. non autem, Instir. ubi plura Pichardus, de perpet. & tempor. Reatigui lib. 3. select. cap. 4. num. 3. Valentia 2. tom. illustrium, tract. 2. capite 2. Igitur non recte in praesenti docetur, haeres teneri satisfacere pro delictis a defuncto commissis.

Adhuc tamen defendenda est praesens assertio, pro cujus expositione, omissis his, quae de daveri sepultura deneganda ob graviora scelera adduxi in notis,

in cap. sacris, hoc tie. sciendum est, circa cadavera eorum, qui pro suis sceleribus puniuntur, sepelienda, vel non, specialiter, & variè cautum fuisse, tam lege veteri, quam jure civili, necnon nostro Pontificio. Apud Hebræos enim expressè cautum erat, ne cadaver ultra diem in patibulo remaneret, cap. 21. *De veteri. vers. 22.* ibi: *Quando peccaverit homo, quod morte plebendum est, & adjudicatus mori, appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur.* Et cap. 8. *Joſue, vers. 29.* ibi: *Regem quoque ejus suspendit in patibulo usque ad vespeream, & solis occasum, præcepitque Joſue, & deposuerunt cadaver ejus de cruce.* Referunt Joſephus lib. 4. *antig. cap. 8.* & de bello Judaico lib. 4. *cap. ultim.* Carolus Sigonius de republica Hebræor. lib. 6. *cap. 8.* P. Menochius cod. *tratt. lib. 6. cap. 6. num. 15.* cujus moris varias rationes adducunt Interpretes: aliqui affirmant, ideo cadavera infra eandem diem sepelienda esse, quia Judæi credebant punitorum animas excruciaci corporibus insepultis, ut probant Zerda ad *Tertullianum de anima*, Gregorius in *notis ad Petronium, capite 71. not. 8.* Moñacius in *l. obnoxios, Cod. de religiosis*, Durantius *Caſel. libro 1. var. capite 4.* Pater Pinto in *ſpicileg. tratt. 1. cap. 32. num. 12.* Sed hoc somnium merè esse agnoverunt D. Augustinus lib. 1. *de cura pro mortuis*, D. Thomas in *4. dist. 25. art. 3.* Lorinus, & Cornel. à Lapide in *dict. capite 21. Dever.* Alii docuerunt, cadavera punitorum esse humanda, quia homines Dei similitudinem referentes, diuque suspensi ad ejusdem quodammodo injuriam cederent: ita Rabbi Salomon, & Abulensis in *dict. cap. 21.* P. Andreas Mafius in *cap. 8. Joſue, num. 28.* rationem reddit tam celeris sepulture: ne aër contaminetur: sed hæc expositio displicuit Cornelio ubi *ſuprà*, D. Laurentio Ramirez in *Pentec. cap. 17.* Quare veram rationem credo assignari in *ipſo cap. 21.* ibi: *Quia maledictus homo, qui pender in ligno, & nequaquam contaminabis terram tuam.* Punitorum enim sepultura potius in eorum execrationem, quam pietatis officium concedebatur, quia ita damnatus maledictus dicebatur: & eo sensu de Christo Domino propter peccata nostra, ait Apostolus ad *Galar. 3.* sic: *De maledicto legis factus pro nobis maledictus.* Quò alluſit Tertul. *cap. 8. de patientia*, ibi: *Cum vos maledixerint, gaudere: Dominus ipſe maledictus in lege est, & tamen solus est benedictus.* Contaminabatur etiam terra pendentis aspectu, quia vitiatorum memoria revocabatur, ut *ex cap. 18. Levit.* probat Lorinus ubi *ſuprà*. Unde ita damnati infra eundem diem sepeliendi erant, non in majorum sepulchris, ut probant Grethiferus *de cruce lib. 1. cap. 27.* sed in certis cavernis, & foveis, damnatorum corporibus destinatis, de quibus agunt Ramirez de Prado, *dict. capite 17.* P. Pinto in *ſpicil. tratt. 1. capite 32. numero 11.* Unde forſan Judæi rogant Pilatum, ut corpus Domini nostri, & cadavera latronum, qui cum eo crucifixi erant, tollerentur, ut refertur *Joannis cap. 19.* quia cum è vespere ipſius diei inciperet festivitatis Sabbathi, non poterant post vespeream de crucibus deponi; & si ibi remanerent ultra diem, peccabatur contra legem *ſuprà* relatum.

4.  
De jure  
civilis  
Romæ  
notum.

Jure etiam civili Romanorum punitorum cadavera in ipſis patibulis remanebant, *l. capitalium, §. famoſos, ff. de pœnis*, ibi:

*Famoſos latrones in his locis, ubi graſſati ſunt, furcâ ſigendos compluribus placuit, ut & conſpectu deterreantur alii ab eisdem facinoribus, & ſolatio ſit cognatis, & aſſiſibus interemptorum eodem loco pœna reddita.* Ubi legendum esse crucifigendos, vulgò notatur, quia graſſatores olim crucifigebantur. Paulus libro 5. *ſentent. titul. 23.* ibi: *Inhoneſtiores, ait, pœnâ capitis vindicari placuit, humiliores verò in crucem tollantur.* Petronius in *Satyr. cap. 71.* ibi: *Imperator provincia juſſit latrones crucibus aſſigi.* Apulejus lib. 3. *de Aſino*, ibi: *Latronem iſtum miſerorum pignorum meorum interemptorem cruci aſſigatis.* Sed cum Imperator Conſtantinus vetuiſſet crucis ſupplicium deinceps imponi, ut ex D. Augustino, Nicephoro, & Sozomeno probant Concil. lib. 1. *ſucceſſ. cap. 13.* Cujacius libro 16. *obſerv. cap. 1.* Petrus Faber lib. 2. *ſeſtetr. cap. 7.* Lippius lib. 1. *de cruce*, cap. 13. Solorzanus *emb. 73.* Reatigui lib. 8. *ſelect. cap. 9.* Antonius Matthæus ad *titul. de pœnis*; ideo Tribonianus in reſponſis Conſultorum, pro cruce, reponit furcâ, ut in *l. ſacrilegus 6. ff. ad leg. jul. pecul. l. moris 9. §. iſta, l. ſi quis aliquis 38. §. 1. ff. de pœnis, l. 3. §. tō qui ad hoſtem, ff. de remiſſi. Fornierius lib. 4. *rer. quotid. cap. 2.* Nonnunquam tamen corpora damnatorum ſepelienda cognatis, & amicis Princeps concedebat, *l. 1. §. 2. ff. de cadaver. punit. l. obnoxios, C. de religiosis*, Caſiodorus libro 2. *epiſtol. 2.* Poſthumius Junior *declamat. 6.* latè illuſtrat Durantius *Caſaël. lib. 1. variar. cap. 4.* quod indultum maxime dabatur, ſi natalis dies Imperatoris iſtaret. Philo Judæus contra Iſaacum, de natalitiis Auguſti agens, ibi: *Novi quosdam jam crucifixos, iſtante feſto Auguſtorum de cruce depoſitos, & ad ſepulturam ex more cognatis traditos.* Illuſtrant P. Faber libro 2. *ſeſtetr. cap. 9.* D. Laurentius Ramirez de Prado in *Pentec. cap. 17.**

Jure verò Pontificio etiam ultimo ſupplicio damnatis ſepultura eccleſiaſtica conceditur *Concil. Wormat. can. 80.* ibi: *Ultimo ſupplicio aſſiſiſtis ſepultura non denegetur, ſi Domino peccata confeſſa fuerint, & pro eis Domino offerantur oblationes, & Miſſa celebrentur.* Et *cap. quaſtum 30. 13. quaſt. 2.* quod & antea placuit Carthaginienſibus Patribus in *can. 2. Concil. Carthag. 1.* ibi: *Martyrum dignitatem nemo prophanus infamet, nec paſſiva corpora, qua ſepultura tantum propter miſericordiam eccleſiaſticam commendari mandatum eſt, redigat.* Ubi per paſſiva corpora, non alia intelligimus, quam eorum, qui ultimo ſupplicio affecti fuerunt: verum quavis ſacri canones permiferint punitorum cadavera ſepeliri, ut de patibulis tollantur, & ſepultura tradantur, debet tamen præcedere Principis vel judicis, qui ſententiam tulit, licentia, ut docent plures relati à *Cenedo collect. 4. ad Decret. libro 3. variar. capite 14.* libro 2. *variar. num. 11.* Gamma ubi *ſuprà*, Sylveſter in *ſumma, verbo Sepultura*; quia cadavera ipſa punitorum ſine judicis auctoritate deponi ex patibulis non poſſunt. Unde milites olim conſtituebantur ad cuſtodiam, juxta illud D. Matthæi, *cap. 17.* ibi: *Centurio verò, & qui cum eo erant ſervantes Jeſum, viſo terra motu, & his qua facta ſunt, tremuerunt vehementer, dicentes, vere filius Dei erat iſte.* Petronius in *Satyr. cap. 71.* ibi: *Proxi-*

Proxima ergo nocte, cum milites, qui cruces servabant, ne quis ad sepulturam corpora detraheret. Et cap. 72. ibi: At miles circumspiciens, dum refidet, ut postero die vidit unam sine cadavere crucem, veritus supplicium, mulieri quid accidisset, exponit, nec se expectaturum iudicis sententiam, sed gladio jus diciturum ignavia sua. De quibus militibus custodibus agunt Petrus Gregorius lib. 31. *synag.* cap. 27. num. 9. & cap. 38. Baronius tom. 1. *annal.* fol. 167. Pinto Ramirez *specul.* tract. 1. cap. 45. Petrus Faber, Lipsius, Grethlerus, & Forner. laudati à Notatore Petronii *diel.* cap. 71. Abulens. in cap. 10. *iosue*, quest. 94. Pater Magallonius in eodem textu, *annot.* 6. Nonnunquam enim non permittitur depositio ista ex patibulis ob publicum exemplum, juxta illud Quintiliani *declamat.* 274. ibi: Quoties crucifigimus noxios, celeberrima eliguntur via, ubi plurimi commoveri hoc metu possunt. Omnis enim poena, non tam ad delictum pertinet, quam ad exemplum. Unde Imperatorem Augustum, qui ob humane conditionis memoriam damnatorum cognatis cadavera ad sepulturam concessisse refert Suetonius in eo cap. 10. aliquando id denegasse, ipse Suetonius refert his verbis: Nec successum victoria moderatus est, sed capite Bruti Romam misso, ut statue Cesaris submitteretur, in splendidissimum quemque captivum, non sine verborum contumelia servavit, ut quidem uni sepulturam precanti respondisse dicatur, jam illum in volucrum potestatem fore. Non ergo licet, attento jure etiam Pontificio, absque Judicis licentia punitorum cadavera sepelire, juxta textus in l. 7. *titul.* 13. *part.* 1. l. *final.* *tit.* 31. *part.* 7. immò clerici, vel monachi furtim, seu per vim corpora punitorum extrahentes, graviter puniuntur in l. *adducto* 6. *Cod. de Episc. aud.* & cadavera ita deposita, & in Ecclesiam asportata, immunitate ecclesiastica non gaudere, probavit eruditus vir D. Ludovicus de Egea in *tract. de cadaver. punit.*

6. Deinde sciendum est, hæredes ex contractibus defunctorum in solidum eisdem actionibus conveniri, quibus eorum auctores tenebantur; ad legatam verò in testamento relicta solvenda, ex quasi contractu teneri, §. *heres*, ubi Institutori, de obligationibus que ex quasi contractu, licet contractus pro quasi contractu ponatur in l. *penult.* §. *final.* ff. de separationibus; & etiam licet in l. *unic.* *Cod. ut actiones*, dicatur obligationem legati oriri ex contractu, ea verba sunt referenda ad stipulationem, de qua ibi agitur, non verò ad obligationem legati. In hac tamen parte observandi sunt textus in l. 1. §. 5. ff. de iudiciis, l. 35. ff. de usufruct. l. *postquam* §. ff. ut legatorum, l. si legati 28. ff. de pignor. l. *final.* ff. ut in possess. legat. l. *fundum*, ff. de condit. & demonstr. l. si communis, juncta l. 13. §. qui 9. ff. de ac-

ceptil. l. *final.* C. ad Trebel. l. 3. §. 4. ff. *navis*, canpones, l. 60. §. *heredem*, ff. locati. Ex delictis tamen defunctorum non tenentur nisi decedant jam poena irrogata, ut in l. 3. §. *quod autem*, ff. *quod quisque juris*, l. Gajus, ff. ad Syllan. l. 8. in fine. l. 11. l. 13. in fine. cum l. *leg. ff. de publican.* aut nisi lis contestata fuerit cum defuncto, ut in l. 12. ff. de R. V. l. *poenales* 32. ff. ad leg. Falcid. l. 6. §. *fin.* ff. de aqua pluvia; vel nisi crimina publica sint, ut in l. ex iudiciorum 20. ff. de public. iudic. l. 2. ff. ad leg. jul. repetund. l. *final.* ff. de bonis eorum qui ante sententiam, l. *final.* ff. ad leg. jul. majest. l. 15. §. 2. ad Turpyl. Valentia tom. 2. *illustr. tract.* 2. capite 2. aut nisi delictum proveniat ex contractu, ut in l. *Conductorem*, C. locati, aut nisi rei persecutionem contineat, ut probat Pichardus in §. 1. *Instit. de perpet. & tempor.*

Quibus ita animadvertis ratio presentis decisionis ex eo provenit; nam, ut proximo commentario diximus, quibus communicamus vivis, communicare etiam debemus defunctis; & quia excommunicati in presenti specie pro suis sceleribus, fuerant absoluti, atque gremio Ecclesie restituti, ideo cum psalmis, & oblationibus ad sepulturam ecclesiasticam recipi valent; sed quia satisfactione promissa ipsi fuerant absoluti; ideo eorum hæredes tenentur pro damnis ab eis illatis satisfacere, & exonerare conscientiam illorum: quia hæc obligatio, licet ex delicto proveniat; tamen rei persecutionem continet. Nec tunc obstat prima dubitandi ratio supra adducta; nam verum est, regulariter omnes eos, quibus communicatio conceditur, ad sepulturam esse admittendos, nisi damnati sint ob graviora scelera, relata supra in capite sacris; quo casu accipiendus est textus in *diel. cap. placuit*, nisi illum referamus ad casum, in quo qui pro suis sceleribus puniebantur, poenitentiam non petierant. Nec obstat secunda difficultas, cui ut satisfaciant Interpretes, varia adducunt. Aliqui, quos refert Garanna in presenti, discrimen agnoscunt in hac parte inter jus civile, & canonicum. Phæbo *dees.* 131. num. 43. docet, ideo hæredes in presenti textu, & in capite in literis, de raptor. teneri pro defunctis satisfacere; quia cum illi poenitentes decessissent, & absoluti, necessario supponendum est, tempore absolutionis eos promississe satisfactionem; unde ex tali promissione hæredes rectè obligantur pro eis satisfacere, juxta legem 2. & ultim. C. de heredit. act. Sed licet hæc solutio vera sit, facilius responderi potest, si species hujus textus referatur ad casum litis contestate, vel cum actio erat rei persecutoria; quo casu hæredes etiam tenentur ex delictis defunctorum.

Explicandus est textus in cap. 2. de raptor. cum adductis in ejus

NOTIS.